77

NAZIONALE
6
3 H
21

I 1

~~D. XXII.~~

~~D. X~~

8 - 6 - A - 32

7 - 12 - D - 21

Digitized by Google

GEORGI HORNI

RERVM BRITANNICARVM

Libri Septem,

Quibus

Res in Anglia, Scotia, Hibernia, ab Anno cIↄ Iↄc xlv bello geſtæ, exponuntur.



LVGD. BATAV.
Ex Officina FRANCISCI HACKII.
cIↄ Iↄc xlviii.

ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS,
& Nobiliſſimis,

ACADEMIÆ HARDERVICENÆ

CURATORIBVS,

D. IVSTO VYGH, Domino in Iſendoorn, Curiæ Ducatus Geldriæ Senatori.

D. ARNOLDO de BYE, Domino in VVageſtein, Conſilii Status Aſſeſſori.

D. RODE ab HECKEREN, Satrapæ Comitatus Zutphanienſis.

D. GERHARDO NICESIO ab HELL, Conſuli Vrbis Zutphanienſis.

D. ZEGERO ab ARNHEM, toe den Haghe/ Ducatus Geldriæ & Comitatus Zutphaniæ Quæſtori Generali, & in Collegio Ordinum Deputatorum Geldriæ Delegato, ejuſdemque Collegii Tetrarchico-Velavici Præfecto.

D. IOHANNI à VVYNBERGEN, Curiæ Ducatus Geldriæ Senatori, Vrbis Hardervicenæ Conſuli.

D. D.

GEORGIVS HORN.

SUa regnis omnibus fata eſſe, & circumagi numinis Providentia Imperiorum fortunam, non ulla evidentioribus exemplis ætas, quam no-

ſtra probat. Ut à recentiſſimis incipiam, commotas Hiſpaniæ gentes, & Cataloniam Francico ſceptro additam, Portugallos ex ſua nobilitate Regem repetiiſſe, nupera ſunt, eademque in ſtuporem Europæ hactenus jactata. Jam excitos impotentia regnantium Italos,& in Apulia ſurgentem Rempublicam, nemo impenſius miratur, quam qui tanto tempore aſperrima tolerari potuiſſe imperia, ſecum haud otioſe perpendit.

Si res humanæ caſu quodam & incertis eventuum raperentur, tranſmitti hurum rerum cura, velut inanis poſſet. Jam à Deo illas immitti mutationes,ut vel Regum caſtiget errores, vel populi furorem juſtiſſima indignatione compeſcat, ita certum eſt, ut negare ſit impii, ambigere etiam rerum ante geſtarum ignari. Quippe is ſicut omnium author Rerumpublicarum exiſtit; ita cunctis terminos ſuos ac ſtata præfinivit tempora,intra quæ,ſuis quibuſdam incrementis ac decrementis, circumagantur. Nimirum ut homines, ita Reſpublicæ, mortales ſunt. Ubi quon-
dam

Google

dam præpotens Lacedæmon jura Græciæ &Aſiæ dedit; ibi hodie vix tenuem Miſithram reperias. Thebæ, Argos, Athenæ, tantum nomina ſunt; & immanium urbium, Nini, Babylonis, quas olim ſupplex adorabat Oriens, hodie etiam ſedes, dubia curioſitate quæruntur. De innumeris exclamandum:

Ἐρημία μεγάλη ἐστὶν ἡ Μεγαλόπολις.

Hæc fatalis rerum converſio, Europæ non ita nuper incubuit. Exarſere civiles acies ultra humanum morem. Integræ gentes ad lanienam deſtinatæ; & quod non omnes perierunt, in cauſa fuit negatum etiam Caligulæ votum, quod non una omnibus cervix fuit. Quid cunctis exanguem Provinciis Germaniam loquar? In ejus perniciem, quicquid furiarum, jam amplius XXVII annis conjuravit, ac bellum ibi, tanquam nullo unquam fine, obſtinatis odiis, deſperata barbarie geritur. Non ulla ſimile nefas ætas tulit. Ipſam antiquitatem ſuperamus. Græcorum Romanorumque bella ludibrium ſunt, & ipſorum Trebiæ, Thra-

ſymeno, Cannis, tot campos oſſibus cæſorum fœdos, tot gentium ſtrages, opponere poſſumus.

Heu quantum terræ potuit pelagique parari,
Hoc quem civiles hauſerunt ſanguine dextræ!

Germania omnium totius orbis Provinciarum potentiſſima, innumerabili hominum copia, frequentiſſimis pagis, florentiſſimis oppidis, urbium ſtupenda majeſtate conſpicua. Nihil in ea incultum aut aſperum. Quoties bellum in exteros gerendum, exercitus robuſtiſſimi in promtu. Juventutis inexhauſta ubertas. Nunc fracta omni cladium genere, miſerabilem faciem præ ſe fert. Incolarum vix ſuperat centeſima pars. Vaſtæ jacent totæ Provinciæ. Commeantibus inſolita paſſim & formidabilis occurrit ſolitudo. Hinc oppidorum & urbium magna cadavera; inde pagorum continua buſta. Qui ſuperſunt homines, exhauſti fame, vulneribus fœdi, curis ac metu triſtes, per ſilvas & avia vagi, priſcam Germanorum feritatem reſumunt. Bellum non ferocia magis quam diuturnitate ſævit.

vit. Redeunt in orbem miſeriæ. Exhauſto uno anno, ſuccedit alter longe immanior. Toto Imperio albentia exercituum oſſa in tumulos aggerantur. Quibus, utinam in Turcas licuiſſet fortibus eſſe, & ante ſeculum, ad Viennæ portas, vel in Pannoniis, cecidiſſent. Feliciores illi, qui olim per Syriam ac Palæſtinam cæſi, vel Niliacas ripas ſuo funere conſtraverunt. Nunc triumphi gloria carent, & nulla poſteritas inſanam fortitudinem laudabit. Necdum infeſtam pugnantium rabiem, per innumeras acies fuſus ſanguis, explere poteſt. Indies malum creſcit: ingeminant querelæ, lamenta, planctus, cadentium inter enſes, ignes, & omni ponto ac tempeſtate feriorem militem. Ecquando tandem cædium finis erit? Semperne innocentiſſimi cives peregrinos gladios ſuo imminere jugulo, ſacra, profana, publica, privata, rapi, agi, ferri, peſſumdari, conſpicient?

Indignatio numinis non ullo coërcetur Oceano. Si Germanorum impietatem duratura ad poſteros clade caſtiga-

vit; tranſmarinos quoque, ut culparum, ita pœnæ ſocios eſſe voluit. Dum noſtris Britanni malis otioſe indulgent, dum obliti federis ſui ac promiſſorum, bella noſtra alunt, Deus gladium ultorem ipſorum manibus inſeruit, ut ſanguinem ſociis debitum, ipſi in ſua effunderent viſcera. Hæ inferiæ ſunt quas miſerrimo Palatinatui debent: hæc juſtiſſima calamitas, qua illam cunctantium ſegnitiem cœlum excuſſit. Adeo nulla vindictam maria excludunt. Dum inanibus Legationum ſpes publicas fruſtrantur, dum pernicioſæ artes dominantur & longæ pacis mala gliſcunt, bellum repente exortum, quod integras acies hauſit, & in Hibernia uſque ad internecionem gentium geritur.

Hæc quæ nuper acerrimis per Britanniam expeditionibus geſta ſunt, cum cura conſcribere, & Nobil. ac Ampliſſ. nomini veſtro, monumentum publicum, conſecrare animus fuit. Veſtris auſpiciis Muſæ in Geldria novas ſedes ponunt. Ut jam pro uno Helicone, Belgium federatum pluribus exultet. Dum paſſim artes

pereunt, & horrenda Europæ barbaries incubat, Sicambri, bellicoſiſſima gens, & non ita Rhenum traducti, ut apud vos perierint, mitiſſimis exercitiis aſſueſcunt. Exarmaſtis Hiſpanum, & ferociſſimos hoſtes lento octoginta annorum bello ad petendam pacem adegiſtis. Addite hoc pulcherrimum generi humano donum, ut quantum bello, ita artibus ingenuis Geldria floreat. Nam & Religio, ſola ad cœlum via, in eo vertitur, cum qua hactenus ſtetiſtis, & qua labente, haud procul ruina eritis.

AD

LECTOREM.

QVid me, Lector, ad ſcribendam Bellorum Britannicorum Hiſtoriam impulerit, paucis exponendum duxi. Non deerunt qui hominem extra Britanniam & natum & educatum, rectius facturum fuiſſe dicent, ſi omiſſa rerum tranſmarinarum cura, in Germanicis potius bellis ſe occupaſſet.

Quin Britannus gentis ſuæ res exactius ſcribere potuerit, non negarim, & res in confeſſo eſt. Nam & mores, & ingenia, & poſituram locorum, quæque alia magnum in ſcribenda Hiſtoria uſum habent, exactius novit: & ſi in ſuorum laudes alicubi vehementius inſurgat, id non adulationi, ſed affectui, quem patriæ omnes debemus, tribuitur. Equidem nos tranſmarini diu tale quid à Britanno expectavimus. Sed illi, ſive turbæ domeſticæ animum eripiant, ſive nondum finitis bellis, arduum judicent quicquam tradere,

dere, hactenus ſpem noſtram deſtituerunt. Non diffiteor ſua lingua quædam edidiſſe, ſed neglectim, & quæ in Hiſtoriæ cenſum haudquaquam venire poſſunt. Extant Chronica cujuſdam Vicarii, & qui nuperrime ſcripſit Ioſuæ Spriggi Hiſtoria. Ac poſterior quidem duplici argumento, Hiſtoriam Belli Britannici ſcripſiſſe, dici nequit. Tum quia ſolius Fairfaxiani exercitus res perſequitur; tum quia intra ſolam Angliam hæret. Itaque omiſit quicquid alibi, in Scotia, in Hibernia, quicquid per alios Duces, Levenium, VVallerum, Breretonum, Poynzium, Maſſeium, quicquid denique ab ipſo Rege & ejus partibus geſtum. Præterea totum opus illud rudis & indigeſta moles eſt; prout res obiter & neglectim in diurnis ac adverſariis annotantur. Inſperſit paſſim prolixas literas, & conditiones deditarum urbium, aliaque ab Hiſtorici officio aliena. Itaque uſus ejus alius eſſe nequit, quam ad Fairfaxiani exercitus res obiter noſcendas. Iam quod Vicarium ſpectat, qui priora belli complexus eſt, ille ſermones potius ſacros, quales ad populum habentur, quam Hiſtorias ſcripſit, cum maxima

operis pars Theologica ſit. Itaque non erat ex Britannis qui nos à ſuſcepto labore deterreret.

Iam ne temere ad ſcribendum acceſsiſſe videar, paucis exponam qua occaſione hoc opuſculum mihi natum ſit. Cum anno 1645. *in Angliam cum Generoſo Iuvene*, Franciſco Brewſtero *profectus eſſem, ea tempora erant, ut parum animi ad cætera ſtudia relinqueretur; cum ſingulis diebus clades gentium, excidia urbium, nunciarentur. Itaque omiſsis aliis curis, totum me ad motuum cauſas varioſque civilis belli caſus noſcendos compoſui. Dum in eo verſor, triſtis nuncius advolat, expugnatam à Rege Leceſtriam. Is terror ſicut Orientales Provincias ad arma concivit; ita mihi occaſionem dedit excidium miſerrimæ urbis ſcribendi. Id primo obiter factum & in privatos uſus, ut aliqua mihi peregrinationis Anglicæ memoria conſtaret. Vix aliquot elapſis diebus, duo exercitus ad Nazebin concurrunt, & de Britannia ultimo prælio cernitur. Quod adverſum Regi, fortunam partium mutavit, & ab eo tempore totus annus urbium & Provinciarum expugna-*

gnatione, multiſque victoriis, inquies fuit. Digna ſcribendi materia videbatur, ſequi exercitus, & per Provincias, totque belli caſus, otioſum cætera calamum circumducere. Is labor tandem in hoc excrevit opuſculum, quod Belli Britannici maxime memorabilia complectitur. Nam priorum annorum res, & quæ inde uſque ab anno 1637. *geſta, pari ordine complexus, ſuo tempore exhibebo.*

Quod fidem meam ſpectat, ſecutus ſum publica utriuſq; partis ſcripta, narrationes, apologias, criminationes, quæque alia ad concinnandam Hiſtoriam ſpectant. Non raro populi voces ac affectus inſerui. Quanquam enim is ut plurimum nimius partium ſit, ac ex rumore potius & conjectura, quam exactiore notitia judicet: tamen id utilitatis inde naſcitur, quod animi hominum, quales durante bello fuerint, innoteſcant.

Quod ſi interdum vel in laudes vel accuſationes eatur, cogitandum eſt, nullum bellum fuiſſe, quin laudanda culpandaque contineret. Virtutes ac vitia ex merito æſtimare, nulli alienum videri poteſt, niſi qui hæc amet, illas odio habeat. Fortia militum facta

ſcripto-

ſcriptorum omnis ævi commendationem meruerunt. Contra perfidiam, impietatem, factiones, vitia Eccleſiæ & Reipublicæ, cuncti averſantur, niſi qui patrant. Faxit Deus, ut læto exitu, totius Europæ meritiſſimæ calamitates, terminentur; utque Germaniæ imprimis & Britanniæ motus ſubſidant. Satis ſanguini, ſatis indignationi indultum. Actæ in exilia Regum Principumque familiæ. Trium ingentium regnorum Monarcha intra unam Vectim, nec ſuo arbitrio, concluſus. Eccleſiæ horrendis ſectis vaſtatæ. Plus à perfidia amicorum, quam hoſtibus periculi.

* * * *
* * *

IN-

INDEX
RERUM MAXIME MEMORABILIUM.

Hothami Patris & filii ſupplicia. *Pag.* 6
Directorium Liturgiæ ſubrogatur. 9
Cantuarienſis capite plectitur. 11
Novus exercitus decernitur. 23
Vxbridgæ de pace agitur. 33
Purefoyus Combdonam ſervat. 39
Mittonus Salopiam intercipit. 44
VVeymoutha per Sydenhamum liberatur. *ibid.*
Langdalius Fairfaxium fundit. 51
Londini & Oxonii ſimultates gliſcunt. 53
Eſſexius Imperio ſe abdicat. 59
Fairfaxius exercitui præfectus. 64
Tautonç obſidium & neceſſitas. 69
Victoriæ *Cromvvelli, Fineſii, Brovvnii,* 78
Fairfaxius Oxonium obſidet. 86
Rex Leceſtriam capit. 89
Oxonii obſidio ſoluta. 96
Tauntonenſium fides. 101
Prælium Nazebianum. 103
Leceſtria recepta. 117
Fairfaxii in Occidentem expeditio. *ibid.*
Carleolas *Glemhamus* dedit. 126
Dorſetii & VViltonii tumultuantur. 127
Tauntona iterum obſidione liberatur. 136
Liber, Deum peccati authorem faciens, crematur. 138
Goringii apud Langportum clades. 140
Scoti Herfordiam obſident. 147
Fairfaxius Bathoniam & Sherbornam capit. 148
Clavigeri contuſi. 151
Clades & internecio Kilſithana. 161
Rex Hundingtoniam elabitur. 166
Fairfaxius Briſtoliam obſidet. 169
Glamorgius Papiſmum in Hibernia reſtituit. 173
Levenius Herfordiam deſerit. 175
Briſtoliæ expugnatio. 182
Montroſius cæditur. 190

Devi-

Devizes & Barclajum capiuntur. 199
Prælium ad Routonheadam. 200
VVintonia deditur. 208
Bazinga capitur. 210
Fairfaxii in Devoniam expeditio. 212
Tivertona & Monmouthia captæ. 217
Digbii clades. 219
Exonium obſidetur. 226
Digbii altera clades. 227
Vaughanus fuſus. 231
Shelfordiam *Poynzius* capit. 232
Beeſtonum deditum. 239
Canon Frooman *Scudamorius* fruſtra tentat. 241
Nevvarka obſeſſa. 242
Hiberniæ ſtatus. *ibid.*
Fairfaxii in Devonia ſucceſſus. 249
Digbius Plimmouthum proditione tentat. 251
Herfordia intercepta. 255
Glamorgius Majeſtatis Dublini accuſatur. 258
Fairfaxius Regios in Cornubiam pellit. 263
Dartmoutham expugnat. 265
Ceſtria dedita. 274
Prælium Torringtonenſe. 276
Fairfaxius in Cornubiam penetrat. 278
Hoptoni ſtatus. 280
Princeps in Syllinas fugit. 281
Cambri rebellant. 282
Corſa capitur. 284
Copiæ *Hoptoni* ſolutæ. 293
Cornubia recepta. 294
Obſidio Pendenniſii. 297
Denningtona dedita. 299
Aſhleius capitur. 301
Regii Abbingtoniam tentant. 304
Exonium & Barnſtablium deduntur. 305
MonsMichaëlis deditionem facit. 310
Rex ad Scotos elabitur. 312
Oxonii obſidio. 314
Bamburia dedita. 317
Oxonium deditum. 319
Vigornia & VVallingfordia deditæ. 322
Raglandiæ deditio. 325
Pendenniſii deditio. 327
Fairfaxius Londinum venit. 328
Novi in Anglia motus. 330

F I N I S.

RE-

RERVM BRITANNICARVM,

Liber Primvs.

Res anni cIↄ Iↄc xlv. i. ii. *Proloquium operis.* Ianvarivs. iii. *Conditio partium.* iv. Hothami *Patris & filii ſupplicia.* v. *Directorium Liturgiæ ſubrogatur, rationes mutationis Synodo reddente.* vi. vii. Cantuarienſis *capite plectitur. Ejus Oratio ad populum.* viii. *Vita ſumma.* x. Rupertus *Abbingtoniam,* Grenvilius *Plymmoutham*, Goringius *Portſmoutham & VVhitchurcham, fruſtra tentant.* xi. *Contra hunc miſſi* VVallerus *&* Hazelriggus. *Controverſum de militia. Novus exercitus decernitur.* xii. Breretoni, Holbornii, Laughornii victoriæ. xiii. *Rex pacem Hibernis inſtanter offert.* xiv. *De Pace cum Parlamento conſultat.* xv. *Reginæ ſuſpiciones. Commendat Epiſcopos.* Febrvarivs. xvi. *Vxbridgæ de pace agitur. Poſtulata partium.* xvii. *Hibernis Rex promittit abrogationem Legum pœnalium.* xviii. *Infecta re Vxbridgâ diſceditur.* xix. Purefoyus *Combdonam ſervat. Res à Leceſtriis, & in Cambria geſta.* Goringius *VVeymoutham ferè capit. Obſeſſis VVallerus ſuccurrit. Equeſtris ſeditio. Plymmoutham* Grenvilius *cum damno oppugnat. Scarbourougha & Ceſtria obſidia.* xx. Mittonus *Salopiam intercipit,* Martivs. *VVeymoutha per Sydenhamum liberatur.* xxi. *Status partium.* xxii. *VValleri militia,*

litia. XXIII. *Herfordiam Provinciales circumſident. Pacantur.* Montroſii *in Scotia conatus.* XXIV. *Ceſtriæ obſidio relicta & repetita.* Langdalius *Fairfaxium fundit.* Rupertus *præſidia confirmat.* XXVI. *Londini & Oxonii ſimultates gliſcunt.* XXVII. *Vtrimque ad expeditionem apparatus. Seditio militum.* XXVIII. *Rex Gallos ſollicitat.* XXX. Eſſexius *Imperio ſe abdicat. Ejus commendatio.* XXXII. *Rex Glamargio poteſtatem dat, pacem cum Hibernis faciendi.*

I. ADhuc ingentes tota Europa motus, & arma undique cruenta circumferebantur, cum Britannia, hactenus cladium, niſi quæ in ſubdola pace, expers, tandem & ipſa immani bello inhorruit. Cujus in univerſum cauſas, initia, progreſſus, viciſſitudines, diſſerere animus eſt, ut quemadmodum noſtra, quæ bello pertulimus, trans mare leguntur: ita ipſorum quoque aſpera & acerba, civilium armorum, nobis innoteſcant. Nam Germanica quidem bella, tot jam annis, in perniciem Europæ, ambiguis geſta caſibus, ſcriptores multos, pro partium affectu, reperere; ac ab illis, quoniam finem non habent, & ipſam pacem, quibus exitium commune volentibus eſt, indies ludificantur, abducere curas placet. Saltem poſteri indignabuntur, ob exiguas terrarum particulas, familiarum ac Religionum odia, excidio humani generis indultum fuiſſe. Adeo priſtina illa, per quam majores noſtri ſtetere, æqua-

qualitas pulſa eſt; ac rapere, & aliena detinere, inter præclara ponitur. Ita paucorum libido, innocuo gentium ſanguine alenda eſt. Quorum artibus fit, dum ſpecioſa nomina prætexuntur, ut ea viderit ſenſeritque ætas noſtra, quæ fidem ſuperant. Et hæc paſſi ſumus. Fruſtra Britanni tempeſtates ſociorum, otioſe de littoribus ſuis, deſpectabant. Diviſos toto orbe, cum jam neminem metuerent, ambitio, luxus, denique ſocordia invaſit. Ac dum religio vel intenditur nimium vel negligitur, nec publici errores corriguntur, parvis initiis propagatum ex ſeptentrione diſſidium, mox omnes inſulæ partes, velut contagio quædam, pervaſit. Exitus ſoli numini notus eſt. Et fatentur ſapientiſſimi quique, necdum finem ullum apparere: adeo indies gliſcit malum, & novæ tempeſtates ſurgunt. Pugnatum, ut ſolet, fortuna haud ſemper eadem. Nam Regiæ partes initio validæ: mox ſucceſſus deſtituit. Debellatum videbatur, cum Fairfaxius Imperium ſuſcepit. Cujus nunc res dicendæ ſunt, ſine ira & odio, quorum cauſas procul habemus. Id ſatis erit, ſingula, prout dicta geſtaque accepimus, ex vero tradere. Nec premere quicquam decet, quæ in recenti memoria verſantur, nec ad invidiam torquere. Quorum illud ſubdoli, hoc etiam maligni eſt: utruinque propoſito noſtro adverſatur.

II. Annum aggredior opimum caſibus,

atrocem prælis, ſucceſſu mirabilem. Pugnatum terra, mari, in obſidionibus, in campo; nihil tota Britannia inacceſſum intactumque victoribus. Domi factiones, & pro Republica, proque ſacris, pluſquam civiles diſſenſiones. Adverſæ Regi in oriente & occidente res. Æſtas pluribus tranſacta cladibus, nec hiems quietior. Per læta, per adverſa, res Britanniæ afflictæ, & alicubi vis peſtilentiæ, omne mortalium genus depopulabatur. Scotia domita & iterum amiſſa. Plena piratis maria, & in Cornubiam uſque penetrantes Turcarum naves. Ferro, ſanguine, & vaſtitate terrarum, repetenda libertas, Religio, & Majeſtas fuit.

III. Finem ſuperioris, & novi anni auſpicium, inter ambiguas pacis ſpes, belli cura excepit. Regis exercitus apud VVoodſtockam; Eſſexii Readingæ, ſparſis per Buckinghamiam, Hamptoniam, Berceriam, Bedfordiam & contiguas provincias, copiis, hyemabant. Ipſe Rex Oxonii, anxius & intentus, magna cura parare omnia, feſtinare, cogere militem, arma, tela, reficere, aut commercari; quod multum in eo ſitum eſſet, ſi Parlamentum, adhuc novam militiam tantum deliberans & ambigens, maturata expeditione anteverteret. Et quanquam Tauntona liberata, Hoptonus iterum in Occidente gravis, eas partes, ſub adultum ver, magno exercitu defenſurus. Tracta in bien-

biennium Plymmouthæ obſidio, quod in ora maris, commodam navigantibus urbem, portu ac mœnibus validam tenere, magni intereſſet, quiſquis eam Provinciam, clauſtraque terræ ac maris, quamvis levi præſidio, adverſus ingentes copias, inſediſſet. Et illa Parlamento fida, cunctis circa hoſtilibus, ſacramentum nondum exuerat. Perſpectumque fuit, regios præſidiis paſſim conſtitutis, eas Provincias firmare, tracturi bellum in longos annos, ſi præliis, quæ hactenus raro proſpera, ſæpe ambigua & adverſa; vel impetu, abſtinendum foret. Donec cuncta diſcordiis civilibus feſſa, ſub Imperium unius acciperentur. In eum finem Iacobus Ashleius Cirenceſtriam, Carolus Floydus Devizas, alii alia loca munire; & jam VVallingfordia ad inexpugnabile robur deducta erat. Scotiam Montroſius, ſaltibus fere & montium fraude graſſans, furtim magis & per globos, quam bello incurſare. Ac ſatis ipſi erat, minus laxamenti Scotis dare, ad auxilia in Angliam ſubmittenda. Igitur, ſi copiæ contra ducerentur, intra montes eludere: huc quoque & illuc volitans, plura fama, quam fuga, exterrere: & pro occaſionibus, crebra prælia, in modum latrocinii, per ſaltus, per paludes, ut cuique ſors aut virtus, temere, proviſo, ob prædam, juſſu & aliquando ignaris ducibus. Eboracenſes Pontefracti, Sandaliæ, Skiptoni, Scarboroughæ;

roughæ; Ceſtriam ipſius urbis ac Beeſtoni: Lancaſtriam Lathamæ; Cumbriam Carleolæ, lenta & ſępius fracta; ſępius, ac tunc quoq; repetita obſidia, fatigabant. Æmulatio inter partes, & ex ea impedimentum caſtris. Nec major Regi ſpes, quam in malis Parlamenti, quod factiones erupturæ in aperta diſſidia viderentur. Quas multi, dum extinguere conantur, acrius incendunt; & innotuit exercitus ac Provincias ſollicitatas, ambiguo eventu; cum nec hi ſuperiorem, nec parem illi ferre poſſent. Tum inter proceres & commune exorta controverſia propter militiam, atque hinc novarum rerum expectatio, recrudeſcentibus priſcis nobilium & populi odiis. Jactatumque: *illam militiæ mutationem, ſepulcrum Monarchiæ & nobilitatis fore; Anabaptiſtis & Brownistis cuncta generis decora conculcantibus.* Hæc ad invidiam gravia. Ita tamen regnator Deus cuncta moderatus eſt; ut concordia durarit; & Ordinum pro Republica contentiones, proſpero ſucceſſu terminatæ ſint.

IV. Initium anni ſupremæ clarorum virorum neceſſitates fecerunt. Hothamus Pater à Parlamento ambitioſis precibus, nec quicquam poſt hæc rogaturus, contendit; *ne antiquæ familiæ decus, ſuo & filii ſupplicio, exſtinguerent; & publica, quanquam utriuſque par meritum eſſet, unius ſanguine expiarentur.* Prona in miſerationem Patribus mens. Sed dimiſſus Digbius,

negata

negata Fairfaxio ſubſidia, Hullæ jam Novocaſtrio proditę extremum periculum, fruſtrata ſæpe fides, cum hoſtibus inita conſilia, id perniciabile reo fuit. Itaque, perduellionis manifeſtus, pridie Kal. Dec. ad ſupplicium ductus, mox reductus eſt, magno ſpectantium gaudio, quod licentia acclamationum, & ſtudiis inanibus teſtabantur; ut eſt mos vulgo, mutabili ſubitis, & tam prono in miſerationem, quam immodicum ſævitia eſt. Quæ pauci incipiunt, reliqui adſtrepere; affectu magis, ad exemplum, & impetu; quam prudentia & judicio. Ad Kal. Januarias filius, poſtridie Pater, vultu quanquam mœſtitiam imitarentur, contumaciæ propiores, capite plexi ſunt. Una omnium vox fuit: *Egregia utique gloria dignos, niſi poſt tanta virtutis experimenta, laudem fini turpi, & perfidia maculaſſent.* Quibus natura Patris cognita fuit, non tam ipſum, quam filium, mirabantur ad id præcipitium abreptum. *Nam Patrem avaritia, atque inde animo præruptum, prout eum intendiſſet, pravum aut induſtrium, eadem vi exſtitiſſe. Duobus facinoribus, altero egregio, altero flagitioſiſſimo, tantundem apud poſteros bonæ famæ quæſitum quam malæ; & fidem atrociori proditione penſatam. Filium advorſus pecuniam ſatis firmum, & patri ob eam cauſam additum, ut ejus avaram ſenectutem, & per ingentia promiſſa expugnabilem, temperaret. Sed hunc facilem inanibus ambitione, illum opibus,*

utrumque à machinatore doli Digbio, circumventum, ut non cogitarent, proditionis mercedem nunquam eſſe ſecuram, & inviſos proditores iis etiam, quos anteponant.

V. Proximus Cantuarienſis erat, jam ultra triennium judices & ſecurim ambigua tergiverſatione, ludificatus: partim illa ſenio ejus mora indulta eſt. Qui ſicut tota vita, maximus Liturgiæ admirator fuit; ita paucis ante exitum ſuum diebus, eam abolitam vidit; Directorio, quod vocant, per omnem Britanniam & Hiberniam inſtituto. Cujus quidem mutationis, rationes has, Synodus dedit: *Principio Reformationis, multas ſuperſtitiones ſublatas, ab erroribus Liturgia purgata, quam etiam, ex Latino in vernaculum tranſlatam, populus cum gaudio & emolumento receperit. Poſtea cognitum, eam tum multis piis domi; tum Reformatis Eccleſiis alibi, diſplicere; non tam propter ſtatas precum formulas, quam ceremoniarum inutilium onus, quo multorum conſcientiæ oppreſſæ ſint. Hinc à ſacra cœna pios abſtentos, fideles Miniſtros in exilium pulſos, Prælatis eam in tantum æſtimantibus, quaſi non modo non perfectior, ſed nec alia cultus divini forma eſſe queat. Vnde in populo, ſpretis concionibus, ignorantiam, ſuperſtitionem creviſſe: & in erroribus ac Idololatria confirmatos Papiſtas; quod viderent librum illum, magna ſui parte, Romanam Liturgiam referre. Præſertim, cum novæ indies ceremoniæ obtruderen-*

derentur, propioris ad Eccleſiam Papalem acceßionis obtentù. Et quemadmodum ſegnes miniſtri, formulis illis, donum precandi exſtinxerint: ſic piis & fidelibus, magna Eccleſiarum diſtractione, præter alia perſecutionis mala, ſilentium imperatum. Iuventutem his incommodis abſterritam, alia quævis, quam Sacrum ſtudium, tractaſſe. Has abrogatæ Liturgiæ & Ceremoniarum cauſas. Procul à novandi ſtudio, procul à contemtu priorum Reformatorum. Quos, ſi viverent, haud dubie conſenſuros. Conſcientiam quoque ac fœdus, ulteriorem Reformationem imperaſſe. Hæc Synodus. Ipſum Directorium magna pietate ac prudentia conſcriptum eſt, & exertim cautum, ne quis ad pigritiam & negligentiam eo abutatur. *Non enim formulas, nec exemplar, ſed manuductionem tradi. Ea fere capita, eum ſenſum ac ſcopum, in precibus, & alio cultu, per omnes Eccleſias, eſſe debere.* Ac paulo poſt, à communi in hanc ſententiam itum eſt: *Plures congregationes, ſub uno Preſbyterio, contineri. Miniſtros Eccleſiæ, Doctores, Paſtores, Diaconos & Presbyteros eſſe. Regimen per congregationes, claſſes, Synodos Provinciales & Nationales exercendum. Congregationes, juxta locorum & habitationum limites, dividendas.* Quæ tum expedienda fuerunt, propter pacis inſtantes curas, ut à Rege confirmarentur. Qui obfirmato adhuc pro Liturgia ac Epiſcopis animo, Synodos tales, ut quam maxime averſari

 & ne-

& neglectim habere. Nam cum Scoti peterent, ut ſuos Edenburgum deſtinaret, qui Synodo intereſſent, certus abnuere, nihilominus, diſſimulato conſilio, Londinum miſit, petitum pro Philippo Warvvicenſi commeatum, per quem reſponſa daret. Inter illam cunctationem, ambiguo rerum ſtatu, aliis intentus conſiliis, nec negare poſtulata videbatur, & concedere animus deerat. Hancque mentem ſuam in eo negotio fuiſſe ad Reginam ſcripſit, omnia ejuſmodi graviter, ut ex longinquo, ſuſpectantem. Cui tum haud leviter obnoxius erat, quod illius interceſſionibus, auxilia & opes à Gallis, bello continuando ſperaret; & Gernſeiæ ac Ierſeiæ cura, nullis tum mari viribus ſuis, penes eam eſſet. Cumque cætera ſatis recte haberent, nihil æque fatigabat quam pecuniarum conquiſitio. Qua occaſione Legatus Portugallus magnum auri pondus obtulit, ſi liberare Hiſpanico carcere fratrem Regis Iohannis poſſet. Quod nullis impetrabile precibus, inter inania fuit. Inſuper matrimonii inter Cambriæ Principem, & filiam Regis Portugalliæ majorem natu, mentio injecta: ita ejus ſpem oblique oſtendente Carolo, ut prudenti ſatis negatum videretur.

VI. Jam dies Cantuarienſi noviſſima illuxerat. Cujus viri, quam invidioſa vita fuit, & toti Angliæ exoſa, ita non alium pertinacius

ad pœnam flagitavêre. Sententia in eum perduellionis lata: *ut ſuſpendio ſemiconfecti, & ſpirantis adhuc membra, quadripartito ſecarentur.* Et hactenus ſomnio, quod infra referemus, fides adfuit. Poſtea ſenio ejus, dignitati, &, quod propter pedis infirmitatem, minus commode patibulum adſcendere poſſet, ſecuris data eſt, & conſpectior mors remiſſa. Medio diei, ex arce, miſerum ſpectaculum, multis increpantibus, nullo illacrymante, productus eſt. Conſcenſo ferali pegmate, & firmato adverſum metus vultu, nec ut ſupplex, ſed ex memoria priſtinæ fortunæ, ad innumeram hominum multitudinem, verba pro more fecit. Utque vidit tranſiſſe vitam, nec aliud quam morte decus quærendum: *Morior*, inquit, *nullis ſupplicii cauſis; morior, tanquam juxta leges regni, innocuus. Neque tamen* (& hoc cum aſſeverantia repetiit) *judices meos accuſo. Ex actis illi ac probatis ſententiam tulerunt; & ſic etiam innocentiſſimus juſte condemnari poteſt. Non modo primus Archiepiſcopus, ſed & primus vir ſum, cui talis exitus contingit. Quanquam laudatis antiquorum mortibus par ſit, & praiverint ſuo exemplo viam hanc, ſed aliis gradibus, quidam majorum meorum. Elſego caput Dani abſtulerunt. Simon Sudbury in tumultu VVat-Tyleriano periit. Iohannem Baptiſtam & Cyprianum, decollatos, orbis veneratur. Et ego meam in cœlo cauſam ſpero aliam fore, quam qualis nunc videtur.*

Nam eſt cum Paulo ac Stephano mihi communis, & inde ſolamen: qui itidem, propter legem & templum, accuſati ſunt. Magni criminis reus peragor: Papiſmi reducendi à me conſilia inita. Quod vivus voluiſſe arguor, id ne mortuo me eveniat, Deum poſco. Et Chriſtus crucifixus fuit, metu Romanorum, cujus mors eos adduxit. Nunquam Papæ major in Angliam redeundi janua aperta, quam ſub hac Reformatione, inter tot ſectas & opinionum divortia. Pauca adhuc de Rege, de Civitate, de Eccleſia, & me quoque dicam. Regem multi fruſtra ſuſpectant, quaſi Papiſmo faveret. Innocentiſſimus eſt, idque ex conſcientia teſtor, cujus nunc coram Deo rationem reddam. Optimus Proteſtantium eſt, juxta Religionem legibus ſtabilitam, nec vita pro ea parcus. Nihil incompertum loquor, & magis mihi, quam ulli, perſpecta eſt pietas ejus. Civitati huic magnæ & populoſæ fauſta incrementa precor. Cæterum, eſt in ea factio quædam, innocui ſanguinis avida, Parlamentum inconditis clamoribus, ad juſtitiam invitans. Quaſi magnum illud concilium, officii ſui, non ſponte meminiſſet. Optimus quiſque ita opprimi poteſt; & ego ita oppreſſus ſum, ac ſanguis meus ſuper hanc civitatem erit. Eccleſia vero Anglicana nuper florentiſſima, heu, quibus nunc illa tempeſtatibus jactatur! Obtenta impietati Religio, pro doctrina ſolida opiniones regnant. Quam non omnis Ieſuitarum conjuratio ſubvertere potuit, ſuis nunc ipſa motibus ruit. Me quod attinet (nam propero ex

hac

hac vita, & prolixus non ero) ita natus, ita educatus ſum, ut Religionem Proteſtantem Anglicanæ Eccleſiæ ſemper profeſſus, nunc etiam in ea moriar. Quantum invidiæ ſuſtinuerim, tentata per omnes Eccleſias externa uniformitate, omnes noſtis, & abunde ſentio. Tandem etiam, quaſi leges regni ac Religionem ſubvertere conatus (horrendum crimen) Majeſtatis accuſor. Præterquam, quod ad omnia, eo quo objecta fuerunt ordine, ſigillatim partiteque reſpondi, proteſtatus etiam ſum de innocentia mea. Dictum fuit, tales reorum proteſtationes, coram tribunali, evanidas eſſe. Ego vero jam non poſſum alio teſtimonio, fidem integritati meæ facere. Ideoque denuo ad proteſtationes veniendum eſt, non jam coram tribunali, ſed in ipſo mortis articulo. Neminem ſpero tam iniquum fore, ut hæc ultima verba mea, & confeſſionem, ſimulata exiſtimet. Conſpiratione inimicorum, & invidia falſi criminis oppreſſus; in conſpectu Dei omniumque Sanctorum Angelorum ejus morior, & coram iis, quatenus veritati ac innocentiæ meæ locus nuſpiam eſt, teſtor, nunquam me in religionem & leges regni, facinus meditatum. Voſq; omnes rogo, ut hujus proteſtationis meæ teſtes ſitis; & has ultimas, pectoribus veſtris, preces relinquo. Accuſatus quoque ſum odio Parlamenta habuiſſe. Quod abſit à me, longe abſit. Quædam in uno vel altero diſplicuere: & arbitrabar, rationes mihi non deeſſe. Corruptio optimi peſſima. Hoc eſt ſupremum regni concilium. Errores ejus ſi qui ſint, quod omen Deus avertat, corri-

gere

gere jam nemo poteſt: Sed ſatis, ſatis eſt; non ero prolixior. Omnibus, etiam acerbiſſimis inimicis meis, ſincere condono quicquid in me commiſſum eſt, & parem ab iis humanitatem, ſive offenderim, ſive videar offendiſſe, expecto.

VII. His ſenili voce dictis, ad ſcriptas preces converſus eſt, profeſſus ſe pro Rege & Eccleſia mori. Quibus lectis, libellum, quo inter perorandum, ad ſublevandam memoriam, uſus fuerat, Doctori Sternio dat: *Et hunc, te quæſo,* inquit, *Collegis tuis oſtende, ut videant quomodo orbi valedixerim.* Tum notarium, qui dicta ejus ſigilis exceperat, *ne quid fraudis admitteretur*, rogare. *Non ſe certum eſſe, an omnia ſic dixerit, ut ſcriptum ſit. Proxime tamen accedere conatum.* Urgente populi prementis frequentia; *Ergone,* inquit; *morituro etiam ſpatium deeſt? Obteſtor vos, ſinite finem miſeriarum inveniam; ſatis diu in iis vitam traxi.* Facto ſpatio, *Exuam,* inquit, *thoracem hunc. Non promtior quiſquam ad dimittendum me eſſe poteſt; quam ego ad eundum ſum.* Rogatus à Johanne Clothvvorthio; Quinam Scripturæ locus moribundo maximum ſolamen afferre queat? Reſpondit: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Eo regerente: Hoc deſiderium bonum eſſe ſi fundamento nitatur; reſpondit: *Nemo hoc poteſt exprimere, intra animum eſt.* Illo iterum dicente: Niti id verbo aliquo, & hoc ſciri poſſe. *Verbum hoc,* inquit, *eſt cognitio Chriſti, ea-*

que

que ſola. Inde data carnifici pecunia, & ſigno indicato, procumbens ad feralem truncum, ultimas preces fudit, & inter illa verba, *Domine recipe Spiritum meum*, impacta ſecuri, caput humeris avulſum eſt, nulla fere cujuſquam miſericordia, quod odium & flagitiorum deformitas prævaleret. Et tum Sol, hactenus nube conditus, repente fulgorem ſuum civitati exhibuit. Quod triſte, aut lætum ſingulis omen, diverſi interpretabantur, ac præjudicio acceptum, ut cuique odium aut admiratio fuit, pleriſque vana mirantibus. Regii & factio Prælatica jactabant; *Solem nubibus caput occuluiſſe, quod tanti viri indignam necem deteſtaretur.* Alii, *lucem Euangelii, interventu maligno Archiepiſcopi hujus, deliquium paſſam, nunc & impoſterum, clarius refulſuram; & Solem ipſum exultare, pernicioſi hominis ſupplicio peracto.* Hæc magnis utrimque contentionibus jactata; diverſis ſtudiis accipiebantur. Sepultus eſt eadem die, in fano quod arci imminet, quodam Fletchero funebrem orationem habente.

VIII. Hunc exitum Guilhelmus Laud, Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Angliæ Primas habuit. De cujus vita, quoniam poſteris ſemper memorabitur, pauca quædam addenda ſunt. Originem ei Anno cIↄ Iↄ LXXIII. Readinga Berceriorum vicus dedit. Caſam, in qua natus, inſtaurari poſtea juſſit, amota, quæ

è re-

è regione ejus erat, tanquam originis dehoneſtamento, cataſta publica. Parentes ſola pauperie, ac hoc filio, nobiles. Ab his, anno ætatis XVI. Oxonium miſſus, & in Collegium Iohannis Baptiſtæ receptus fuit. Ubi per omnes artium gradus, ad Theologiæ ſupremas in ſcholis dignitates, evaſit. Ambitionis à juventute manifeſtus; & magnæ famæ avidum ingenium, contemtor animus & ſuperbia. Cum primam Theologiæ dignationem ambiret, de efficacia baptiſmi ex Bellarmino diſputavit, & inter alia aſſeruit: *Non eſſe veram Eccleſiam quæ Epiſcopo careat*; Doctore Hollando in eum publice ob hoc, & acriter invecto, quod turbulentus ingenio, Reformatis trans mare Proteſtantibus, nomen Eccleſiæ negaret, & Schiſma conaretur. Atque hoc documentum tanti mox evaſuri viri. Vaſtus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat. Nec Georgium Abbottum latuit, quid monſtri aleret, & is Laudo jam gliſcenti, omnibus modis, ſed fruſtra, obviam ire conabatur. Quippe ille, cum ingenium & adulationes in promtu haberet, variis artibus, primum Buckinghamio, & hinc ejus opera, Regi ſe inſinuare. Is tum Angliæ ſtatus erat, ut ſolis Puritanorum hoſtibus, maximæ in Eccleſia dignitates paterent. Quod Laudo, ad ſumma ambitioſe graſſanti, præcipuum emergendi munimentum fuit; & ſtatim

in

in faſtum dominationemque ſe convertit. Ex Epiſcopo Davidis, ad Bathonienſem & VVellenſem, hinc Londinenſem cathedram evectus, jam ſpei & præſagitionis ſuæ certus, ipſi Cantuarienſi metuendus ac intolerabilis evaſit. Cui adhuc ſuperſtiti ſucceſſor deſtinatus, per varias criminationes poteſtatem circumſcripſit, ac tantum non viventem ac videntem, omni authoritate exuit, tranſlato in ſe, & alios quoſdam, Archiepiſcopi munere. Adſcriptus privato Regis conſilio, inchoatum novandi opus audacius perfecit. Atque ab eo tempore Puritanorum acerrimus hoſtis, jam Boneros, Volſejos, Polos, vetera odiorum nomina, voce vulgi, æquabat. Juramentum quoque regium interpolaſſe dicitur, quo ſuam dominationem pluribus munimentis, conſtricto Rege, tunc & impoſterum firmaret. Anno cIↃ IↃC XXXIII. Abotto ſuffectus Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſacram libertatem profeſſa pertinacia, terribilior jam & inſtantior oppugnavit; nec per intervalla & ſpiramenta temporum, ſed continua ſævitia. Iſque præcipuus illi dies magnæ offenſę initium fuit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus. Tunc vitia, ne hactenus quidem preſſa, eo effrenatius ſolvere, nec fama moderationis quærebantur, etiam poſt expletam ſuperbiam. Ratum quicquid ille juſſiſſet. Ab eo provehi optimates, aut premi. Ut quiſ-

que Laudo intimus, ita ad Principis amicitiam validus. Contra quibus infenſus eſſet, metu ac ſordibus conflictabantur. Et aſperavêre eum carmina, incertis authoribus, in ſævitiam ſuperbiamque ejus multoties vulgata. Itaque cunctis, qui Hierarchię adverſabantur, infenſus, non alio crimine, quam Puritanos appellando, gravior fuit. Quod corrupto ſtatu, ad extremum odium ſuffecit. Hinc conſpiratio; & de exſtirpandis Puritanis, tanquam adverſis Majeſtati Principis, non Lambethi quam Romæ, ſegnius actum. Multa hominum millia cum ejus ſævitiam & intolerabilem ſuperſtitionem ferre amplius non poſſent, ſolum patrium vertere, & uſque ad extremos Indos profugere, coacti ſunt. Quibus pulſis, Eccleſias Anglicanas Papiſmo & Arminianiſmo licentioſe palamque infecit. Adeo Romæ cognita merita ejus fuerunt, ut ei iterato atque inſtanter Cardinalitiam dignitatem offerret Pontifex. Cumque prona homini mens ad ſumma eſſet; alterius orbis Papa, quam Romanus Cardinalis, eſſe maluit. Sabbathi profanator magnus, & illam impietatem per ſuos, ſcriptis, ac in contradicentes pœnis, propugnavit. Donec tandem, ſuis actus furiis, cum jam apertæ in Anglia perſecutionis ignem, primis in illa tæda tribus lucentibus, ſuccendiſſet, diuturna tyrannide non in odium magis, quam reverentiam & me-

tum

tum creſcente; Scotiam quoque ſuis inquinamentis tentavit. Quæ cum animoſa gens non ferret, Cantuarienſis arma in Scotos, arma in Puritanos poſcens, Epiſcopale bellum conflavit, & Regis prudentia compoſitum, acrius incendit. Nec ſciri poteſt, traxerit hic Straffordium, an quod inter ſimiles evenit, eadem illos ambitio impulerit. Atque hoc operum ei extremum fuit, Papiſmi, tyrannidis; violaſſe Religionem, Parlamenta, juramentum regium, pacem, unitatem cum exteris Eccleſiis, & aliorum criminum, in publicis comitiis accuſatus pariter ac convictus. Probra vitæ, exitiabilem piis, infenſum Reipublicæ animum, omnes objectabant. Ita eum ſua ferocia cervicibus publicis depulit, dicendaque fuerunt vitia ejus, ut pravis dictis factiſque ex poſteritate & infamia metus ſit. Multa hunc exitum portenta præceſſerunt. Adhuc in Oxonienſi Academia verſanti, magnæ, per ſomnium, in Eccleſia & Republica dignitates, ac ultimo laqueus oblatus. Qua die Archiepiſcopatum ſuſcepit, quadrigæ ejus, cum equis, in Lambethano trajectu, undis merſæ ſunt. Initio Parlamenti, quod præſagitionis certus, ut fatale ſibi horrebat, picturam ſuam in muſeo facie in ſolum cernua collapſam, ipſe annotavit, cum hac clauſula: *Deum precor, ne Parlamentum, quod me accuſare vult,*

prævaleat. Anno, quo Scoticum bellum ſuſcitavit, inſignia ejus à culminibus Cantuarienſis ſani abrepta, tempeſtas fœde diſſipavit. Et tum, creſcentibus indies vitiis, haud longe ab exitio fuit. Immenſa populi in eum odia. Nihil aliud audiebatur in compitis, quam contumeliæ in tyrannum. Ille perſecutor, Papa, Volſejus, Boner, Polus, uno omnium ore dicebatur. Et quoniam facinorum plerorumq; repertor habebatur, ex nimia in eum charitate Regis ac cæterorum odio, quamvis immania credebantur. Suſpendendum in ſacro veſtitu, Liturgia de zona pendente, plebs indomita, & cum licet furioſa, fremebant. Alii relegandum in Novam Angliam; quo ſi tranferre ſedes cogeretur, major ipſi vitæ, quam mortis metus. Inter tot opera ejus, id commendatione dignum, quod, jactantia gloriaque ad poſteros, Oxonienſem Academiam, pretioſiſſimis Græcorum, Hebræorum, Arabum, Perſarum libris manuſcriptis & privilegiis ornavit, Profeſſione etiam Arabica conſtituta. Eaque in re adeo ambitioſus fuit, ut ex Oriente, pro Batavis advecta volumina, detinere, quam, ut jura poſcunt, niſi tandem, verſo rerum ſtatu, & aliis curis urgentibus, reddere maluerit. Cætera ad eam, ut diximus, formam fuerunt, & ipſe animo fœdus ac maculoſus, ſomniorum uſque ad ſuperſtitionem magnus obſervator, quæ cuncta,
etiam

etiam fortuita & confuſa in omen præſagiumque vertebat. Donec poſt exhauſtum immenſæ potentiæ curſum, famam per aſpera & præcipitia quæſitam, ſupplicio invenit.

IX. Tanti viri exitus regiis haud parum animos auxit; & Digbius, promtum in adulationes ac vana ingenium, & omnium quæ diceret aut ageret, arte quadam oſtentator, palam jactare; *Iam finem prioribus belli incommodis adventaſſe. Illam cruentam ſecurim, illum Cantuarienſis verticem, hoſtium, ne dubitent, cladibus compenſandum. Hactenus ambigue, & pari fere detrimento pugnatum, quod in Straffordii innoxiam necem, utrique conſenſerint. Nunc penes eoſdem ſævitiam facti, ac pœnas fore.* Gratum hoc partibus, & paſſim, velut non ſpernendum ſucceſſus argumentum, in aula jactabatur vates Digbius. In quo deprehenſa ejus vanitas fuit, cum poſt Cantuarienſis ſupplicium, cuncta Parlamento proſpere ceſſerint, verſaque ſit belli fortuna.

X. Quæ dies Laudi extrema præceſſit & ſecuta eſt, regiorum fruſtratis conatibus utraque inſignitur. Grenvilius in Occidente Plymmouthum, Oxonienſes Abbingtoniam, impetu capere aggreſſi ſunt; tanta pervicacia, ut ille milites ſuos ſacramento obſtrinxerit, urbem vel cum vitæ jactura capturos, hi vero prandium ſe Abbingtoniæ ſumturos, receperint. Quod militari licentia, cum magna audacia oppugnatio-

 nem,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nem, nullo tamen ſucceſſu ſuſcepiſſent, inter opprobria aliquandiu jactabatur. Nam Grenvilium, ſex-equitum peditumque millenis ſuccinctum; jamque tribus captis munitionibus, obſeſſi magna clade rejecerunt ac fugarunt. Cumque Plymtoni conſultaretur de iteranda oppugnatione, duos Champernoonios fratres, ex antiqua Devoniorum familia, quorum alter Tribunatu fungebatur, ortis, ut ſolet, rixis, ſua manu confecit. Eadem Oxoniorum fortuna. Qui valida I: ccc equitum, cI: peditum manu, albente cœlo, tormentis campeſtribus & pedite inter ſepimenta, in colle quodam conſtitutis, ponte Culhamenſi haud magno labore potiti ſunt. Cumque diu contra vim defendi non poſſet, eum abrumpere viſum, ne ex oppido, & Uls flumen, invadi poſſent. Interea Faringdonii, quemadmodum convenerat, Suttonæ ac VVickæ, equeſtria ſtativa turbare, ut æquato utrimque periculo, hoſtes diſtraherentur. Brovvnius, qui cum præſidio oppidum tutabatur, vir acer bello, eruptione facta, poſt gravem quatuor horarum pugnam, cum à ſeptima matutina ad undecimam diei duraſſet, ſubtribuno Bradbury & octo militibus deſideratis, integrum adhuc pontem recepit, regiis primo ad tormenta ſua, inde in apertam fugam conjectis. Quam cum duces, voce, manu, exemplo, ſiſtere conarentur, Henricus Gagius,

Oxonii

Oxonii præfectus, non inglorius militiæ, & alii, plurimis ex vulgo cæſis, cadunt. Haud paucos fluvius, tum forte hyemalibus undis ſtagnantior, hauſit. Sex Hibernos, in captivorum numero, cum Anglice non loquerentur, detectos, ſuſpendium pro more extinxit. Nec felicius Farringdonii pugnarunt, pleriſque captis & cæſis. Quos inter Farmorus in legione Principis Cambriæ ſubtribunus: cujus cadaver cum tubicine remiſſum eſt. Sic infecta re cum damno Oxonium redierunt, & Digbius vanitatis manifeſtus fuit. Intellectumque, Regiis id conſilii fuiſſe, ut ſi oppidum expugnari non poſſet, ponte interrupto Abbingtonios excurſionibus prohiberent, dum ipſi, novis ad ædes Careyanas & templum Culhamenſe munitionibus excitandis, occuparentur. Gagius magno civitatis luctu ſepultus eſt.

XI. Eo tempore Goringius, Portſmoutha obiter tentata, prædas per Southamptoniam late agebat, & cum millenis quatuor, ad Petersfieldam, & Suſſexiæ confinia, penetravit; homo audax, arma impetu magis, quam conſilio circumferens, & cujus miles pervigiliis quam diſciplinæ & caſtris intentior. Chriſtchurcham poſt acrem oppugnationem, jam oppido potitus, iterum deſeruit, imagine ignis, tanquam eo Poolenſes auxilia ſignificarent obſeſſis, deluſus. Contra eum miſſus initio Mid-

dletonus, mox, Legati poteſtate, VVallerus & Hazelriggus, uterque bello egregius, & præliorum experti duces, cum ſex millenis equitum peditumque. Nam adhuc de novo exercitu, inter proceres & commune controverſum; illis, *nihil in ſumma militia cenſentibus mutandum; nec revocandos, qui hactenus Religionem & Libertatem defendiſſent, præſertim nullius accuſatos criminis. Quod ſi culpa in nonnullis hæreat, nihil propterea univerſorum juri derogandum. Semper id procerum honori datum, ut præcipua belli munia obirent. Secus ſi fiat, metuendam confuſionem, & fedus violari.* Contra nitebatur populus, & diſtrahi copias ambitu Ducum, ac ſi ab uno regerentur, intentiorem fore diſciplinam, objectum fuit. *Quoque pericula conſpectiora, eo magis langueſcens ſub pluribus imperium, unius virtute excitandum. Nam ſi teneant exercitum, ſi augeant vires, multa quæ provideri nequeant, in melius caſura.* Igitur dictis ſententiis, Imperator lectus Thomas Fairfaxius, vir ſummis ducibus par, tum in Pontefracti obſidione, præſentiſſimum fatum, magna felicitate elapſus. Nam telum tormento ab obſeſſis excuſſum, media inter ipſum & Forbeſium via, exitio tam propinquo tranſiit, ut hujus ora adureret, illum turbo humi affligeret. Peditum præfectura in Skipponum, magnum præliatorem, & in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus
poteſt,

poteſt, collata. Is egregio fortitudinis temperamento, cauta potius conſilia cum ratione, quam proſpera ex caſu ſequebatur. Totius exercitus ſumma, millibus viginti ex uno conſtabat; ex quibus ſex mille equites, quatuordecim millia peditum, & mille inter peditem equitemque ambigui eſſent. Legionum pedeſtrium Tribuni, Craffordius, Holbornius, Barkleius, Forteſcuius, Ingleſby, Montacutius, Pickeringius, Rainsboroughius, VVeldenus, Aldredus: Equeſtrium Middletonus, Sheffieldus, Sidneius, Graves, Fleetvvoodus, Vermuden, VValeius, Leviſayus, Roſſiter, Pyeus, omnes bello inclyti. Atque hoc exercitu Religionem & Libertatem defendere viſum; quanquam minoribus copiis, ſpe majora confecta ſint. Quicquid optabatur, vota numen prævenit, ut nec plus ſperari potuerit, nec ſpei reſponderi felicius. His conſtitutis, deliberatum à Patribus, qui honores, propter fidam & immortali memoria dignam hoc bello operam, in Eſſexium conferendi eſſent.

XII. Beeſtonam acriter tum Breretonus premebat. Eam obſidionem ægre Ceſtrii ferentes, cum millenis eo propere contendunt, diſtributis paſſim, toto campo, ad inſidias, copiis. Nec in Breretono pugnæ mora. Qui miſſis obviam, cum valida manu, Joneſio & Louthiano, tanta eos clade multavit, ut præter duos

Tribunos, totidem ſub-Tribunos ac Centuriones, haud paucis cæſis, ducenti caperentur Uno tamen Centurione Blackvvello, regii potiti ſunt. Poſt quam victoriam Breretonus, caſtris Chriſtletoni poſitis, ipſi Ceſtriæ acrius imminere: quanquam Mauritio cum firmis copiis in propinquo, exigua ſpes eſſet urbis potiundi; nec Lancaſtria, ob Lathamiorum excurſiones, auxilia ſuppeditare poſſet. Inde copiis in Cambriam ductis, tentato obiter Rutheno, millia Cambrorum quatuor diſſipavit, & in Salopiam contra Mauritium contendit, cum Stonius Eccleshallæ præfectus, Parshallam Staffordiæ cum præſidio intercepiſſet. Pugnatum etiam in occidente contra Hoptonum ab Holbornio feliciter, capta Devoniæ Sydenhamia; & regiis ex Maridunenſi agro fugatis, Cardiganam Laughornius expugnavit. Cumque rumor increbreſceret, Gerardum Vigornia in Montgomeriam contendere, Middletonus, deſerto Caſtelli Chirkii obſidio, conſilia motuſque ejus obſervare cœpit. Nec leviter tum Salopii, regiorum injurias pertæſi, tumebant. Cui Provinciæ, cum vicinis Herfordia & Vigornia, impoſitus Mauritius, Cambdenam & Eveſhamum, coërcendis excurſionibus, munire cœpit. Nihil tamen ad ſummam belli, ob hiemis incommoda, geſtum: velitationes tantum inter præſidia vicina, Aliſburios & VVallingfordenſes: ac proſpere

ſpere nonnunquam in Denningtonios, & Bazinghanos à Deveureuxio pugnatum. Contra damnum aliquod, corrupta, dum effuſius palantes inſequuntur, victoria, à Nevvarkiis Nottinghamenſes apud VVivertonam acceperunt. Goringius quoq; Crundalli & Adderſhotiæ prope Farnhamum, ſtativa VValleriánorum oppreſſit, ſignorum, armorum, & aliquanto numero militum, potitus. Quatuor cæſi, quinquaginta capti ſunt. Cæteri fuga evaſerunt. Inde junctis cum Thoma Aſtono viribus, jam quinque millium, apud Saliſburiam hæſit. Navis quoque in Orientalem Indiam deſtinata, gravi pretio, conſpiratione Mukne navarchi, & navalium ſociorum, Briſtoliam tracta eſt. Inter hæc Occidentis, Meldrumus cum bis mille Scarborugham obſedit. Ex quo portu mare Germanicum piratæ graviter infeſtabant, quorum una, cujuſdam Dentoni navis, tempeſtatibus Hartlepoolam Dunelmenſium ejecta, in manus Parlamenti venit. Cætera Caſtella, Boltonum, Skiptona, Sandalia, propter nives & intenſum frigus, copiis, quæ millium quinque, Eboracum, Northallertonam, & in vicinos urbi pagos, abductis, obſideri tum non potuerunt. Relicti tamen, qui Pontefracto incubarent.

XIII. Regem, præter belli curas, pacis quoque cum Hibernis pariter atque Britannis, negotium exercebat. Et Hibernis quidem nihil

tum negandum videbatur, dummodo inter ſe compoſiti, totas vires in Angliam converterent. Miſſi in eum finem Brabanſonus, Tichburnius, & complures alii, à Leverpoolenſibus, cum ſecretis ad Catholicos ſubjectos literis, intercepti. Juſſus Ormondius libera ſacrorum exercitia, pœnis omnibus inhibitis, concedere ac ſtipulari. *Leges tum planè refixurum Regem, excepto, ne quis Romam provocet, ubi auxiliis eorum, conjurationem Anglicam extinxerit.* Muſgravio & Plunketo, gratiæ actæ; ac quicquid bello perpetraſſent, generalis venia promiſſa. Illi ſuſpectare pacis cum Parlamento conſilia, quod non ignorarent, belli Hibernici continuationem, inter primas ejus conditiones fore. Qui rumores ne Ormondium turbarent, Rex per literas ſignificat: *Se quidem, propter Hibernos, pacem in Anglia negligere non poſſe. Cæterum, magno eam rem uſui fore. Primò, ut quantum fieri poſſit, pax ibi maturetur. Nam ſic tolli omnes difficultates, quæ continuato bello, emergere queant. Deinde pericula Hibernis intendenda: excludi eos ab omni pacis ſpe. Cæteris tranſactis, in hoc ſolo diſſentire, ſibi haud commodum fore. Igitur, dum tempus ſit, maturent pacem, & quæ obtulerit, amplectantur. Atque hæc,* inquit, *ad Hibernicam pacem ſufficiunt. Fidem ſemel datam, nulla humana vis rumpet.* Hæc quæ cum Hibernis acta, Reginæ tranſmittebantur, addito mandato: *Haberet ea*

quam

quam ſecretiſſima, Regenti & proceribus Gallis, unum id ſignificaret; eas Hibernis conditiones oblatas, ut pacis jam nullum ſuperſit dubium. Nec quicquam, impetrandis Gallorum auxiliis, operæ omiſſum. Ut ita Rex, fracta pacis ſpe, ſub proximum ver undique ingrueret, præter ſuas vires, quæ validæ, hinc Hibernum Scotiæ, & per Cumbriam Angliæ immiſſurus; inde Auſtrum turbantibus Gallis, mixta belli civilis, externique facie. Actum etiam de navibus Parlamenti per Galliam detinendis. Sed illi neque abnuere, neque polliceri. Omnia utrimque ambigua, ſuſpecta, & vetus Gallis ac penitus infixum, arma Britannica vitare. Nec quiſquam dubitabat eos malle bello diſtractas potentiſſimæ inſulæ vires, quam victoria, vel pace unitas, ſibique, dum gravibus bellis diſtrahuntur, formidabiles. Unde in utroſque favor, & ita ſe dubios medioſque partibus præſtitere, ut omnia ex proprio uſu agerent; quanquam in Regem, per occulta & magis fida, inclinare viderentur. Facta tamen Lotharingi ſpes, cum decem millibus, auxilio Regi, in Angliam trajecturum. Miſſuſque ob eam rem in Hollandiam Goffius, ut naves, portum, & alia ab Ordinibus impetraret, promtis ad id multorum ſtudiis. Eaque ſpes auxiliorum à Lotharingo, rata impoſterum fuit. Quanquam alii totum illud negotium ſuſpectarent.

Quid

Quid enim, ſi Gallorum hoſtis, & omni Provincia exutus, hoc obtentu collectum militem, aliò immittat? Britanniamne debellaturum, qui ſua defendere nequeat? Tum quis ſit ille Lotharingi miles, per Germaniam & Flandriam infamis, quem amici quoque execrentur? Pejor an ignavior, incertum, ſolutiſſima, ut nemo alius, diſciplinæ. Quæcunque dici ac fingi queant, ignaviæ luxuriæque probra, in illo cuncta eſſe, & alia amplius. Non juberi, non regi, ſed cuncta ex libidine agere. Ac cum belli utrimque prorogandi conſilia ferverent, Rex Regenti & proceribus ſignificari jubet; *Pacis nullam ſpem. Se non poſſe, alteros nolle, quicquam remittere, quamdiu opinio integra ſit, prævalituros. Ea, vel levi ſubſidio, dejici poſſe. Nam ſi unquam ad ſua defendenda adigantur, haud dubie æquiores futuros.*

XIV. Hinc pacis conſilia agitata, diſceptatumque in Senatu Regio; *an & quatenus nomen Parlamenti Angliæ VVeſtmonaſterienſibus tribuendum ſit?* Dictis ſententiis, plerique omnes, *tribuendum illis id nomen*, cenſuere; haud ſponte Regis, & ſi duo præterea conſenſiſſent, non ceſſuri. Tandem eo argumento, *quod non perinde ſit, vocare atque agnoſcere Parlamentum*, inania nominis tranſmiſſa ſunt, cum res negaretur. Eaque res in acta relata eſt, magno, ut exiſtimatum, pacis præjudicio, cujus hoc præcipuum fundamentum; *Parlamentum VVeſtmonaſterienſe verum & unicum Angliæ Parlamentum eſſe.*

XV. Re-

XV. Reginam in Gallia viduatam deſolatamque, multa angebant. Incerta caſuum, anxia ſui, modo indignabatur agnoſci Parlamentum VVeſtmonaſterienſe, modo Regem Londinum iturum verita, ſe afflictabat. Quæ ſuſpicio aucta, cum Richmondius & Suſſexius eo mitterentur, nec omnino vana fuit. Nam ea de re in Senatu regio diſceptatum, nonnullis, quorum caput Percius, acriter eo inclinantibus, non abſque Regis, quanquam premeret, offenſa. Gravior adhuc metus; ne exercitum dimitteret. *Denique ſine prætoriana Legione, nec Regem tutum, nec reginam in tantis populi odiis fore*, jactatum. Diſplicuit & illud: quod de Religione Uxbridgi primo loco agendum eſſet. *Nam ſi contra Catholicos ſtrictius ſub initia procedatur, nec tamen pax coëat, nihil impoſterum auxilii ab Hibernis, vel aliis Catholicis Principibus expectandum, exiſtimantibus poſt navatam operam, ſe derelictui haberi.* Neque deſtitit ipſum frequentibus literis ad conſtantiam adhortari. *Et quam metuebam*, inquit, *ne Londinum ires. Per Deum te obteſtor, ne unquam te in manus populi hujus committas. Actum eſt tecum, ſi unquam Londinum concedis, nondum finito hoc Parlamento, vel abſque exercitu. Audiò de pace agendum exercitu dimiſſo. Quod ſi facis, periiſti, illis totam militiam in poteſtate habentibus. Imprimis cura, ne deſeras, qui tibi fideliter inſervierunt, imperii inſtrumenta amicos,*

Epiſco-

Epiſcopos & Catholicos. Nam alias in caſu neceſſitatis & te deſerent. Nunquam tibi deero. Potius extrema ſubibo, quam ut non ſubmittam auxilia. Nec tamen defuerunt qui ſuſpiciones intenderent. Quas eximere, præcipuum Regi ſtudium. Et is aſſeverare: *Nunquam ſe pacem amicorum, vel honoris ac ſecuritatis neglectu, initurum. Nunquam ſe exercitum dimiſſurum, Londinum iturum, pace nondum confecta. Tantummodo feſtinaret auxilia, quorum non alio tempore major uſus, quam cum de pace agatur, Londinenſi civitate miſere diſtracta. Itaque dum alii Preſbyteriales, alii Independentes foveant, patere locum adverſus utroſque.* Et hæc Regis conſilia, uſuri pacis ambiguo ſucceſſu, prout res interea caderent. Nec tamen Oxonienſes ſine turbis, & procerum aliquot, Lindſeius, Savilius, Andover, Suſſexius, propter æmulationes, ut fama tulit, cùm Principe Ruperto (ſed ſuberant & aliæ cauſæ) intra ſuam ſe quiſque domum, continere juſſi ſunt. Contra Londini jactabatur, totam procerum domum convelli, omnibus ſub commune & in unum locum compactis, ut res minori contentione, & majore plurium conſenſu agerentur. Et huc tapetes ac picturata vela, quibus inferior domus, contra mores majorum ornabatur, à curioſis inquiſitoribus tracta ſunt. Idque Ordinibus Belgarum Legati perſcripſerunt; & quam exiguus ſupereſſet in Parlamento numerus: vix procerum

cerum XXVI, & ex populo cc. reſtare, cum illorum CXXVI, horum I Ↄ. eſſe debeant. Quod commune, cum innotuiſſet, graviter accepit, nec preſſa indignatio: *Accuſatos ſe magni criminis. Quid enim aliud ſit tollere domum ſuperiorem, & eam cum communi confundere, quam ipſa Parlamenti fundamenta loco movere? à quo conſilio in tantum abfuerint; ut nec unquam ea de re in Senatu actum ſit. Numerum imminutum haud miraturos qui amplius* XL. *procerum Papiſtas ac Epiſcopos fuiſſe cogitent, & quos ipſe Regis conſenſus abſtulerit. Complures deſertorum reverti, quos reſtituere loco nequeant. Multos proximis quinq; annis fato conceſſiſſe, alios Rempublicam per Provincias adminiſtrare, & præter hos nihilominus* CCL. *in Nationale fœdus nuper ex ſolo communi juraſſe.*

XVI. Sic ad pacis negotia, inter formidabilis belli minas, utrimque Uxbridgam ventum eſt. Et cum aliquandiu in Parlamento diſceptatum fuiſſet de titulis illorum, quos Rex inde poſt ablatum ſigillum evexiſſet, tandem convenit; *ut Equites titulos ſuos retinerent, quod ille honor à magno regni ſigillo non dependeret. Comites ac Barones recens creatos, non ſe pro talibus agnituros.* Ita pro Rege Richmondius, Hertfordius, Southamptonius, Kingſtonus, Leceſtrius, Ciceſtrius, Dorſetius Comites; & ex Baronibus, ac populi nomine, Dunſmorus, Capellus, Seymor, Culpeper, Hide, Hattonus,

Gardiner, Aſhburnham, Lane, Bridgeman, Nicholas & Palmerus erant. Mandatorum ſumma fuit. *Primo regimen Eccleſiæ per Epiſcopos, abrogari non poſſe; tum quod id apud omnes Chriſtianos optimum omnibus ætatibus habitum ſit; tum quod Sacramenti, in coronatione præſtiti, religione teneatur. Eandem eſſe cauſam cur pati non poſſit, ut Eccleſiarum bona diminuantur. Denique Clerici, niſi à Rege dependeant, vix eum regni compotem fore. Militiam, præcipuum regni robur, non poſſe concedi. Daturum tamen urbes, & alia munimenta, donec conditiones impleantur. Ad Hibernicas inducias ſe inevitabili neceſſitate adactum. Neque nunc minores rationes eſſe cur pax ineunda ſit. Eamque mentem fore perpetuam; niſi oſtendatur quomodo Proteſtantes illi ſeipſos defendere queant, & ceſſante hac belli neceſſitate.* Hæc quia neq; dari, neq; accipi poterant, caſſa habebantur. Parlamenti partes ſuſtinuerunt Northumbrius, Pembrochius, Saliſburienſis, Denbigius, Comites; & ex Communi, VVenmannus, Vane, Pierpoint, Hollis, Prideaux, Crevius, Saint John, VVhitlockus. A Scotis miſſi, Argilius, Loudenius, Maitlandus, Barklaius, Erſkynius, Kennady, Henderſonus. Poſtulata Regis: *Reſtituantur ablata; quicquid contra leges actum, abrogetur. Quicunque venia excluduntur, ſecundum leges, & per pares, excluduntor. Religio, qualis ſub Elizabetha & Iacobo fuit, retinetor, ſublato abuſu communium precum, &*

illo

illo in teneras conſcientias rigore. Nationalis Synodus more majorum convocator. Interea dum hæc diſceptantur, ſunto induciæ, & commerciorum libertas. Quam etiam Belgarum legati urgebant, magno Regis commodo, arma, & quicquid caſtrenſis apparatus, interea paraturi. Nihil tamen impetratum; & induciæ, ut inſidiis patentes, rejectæ. Tum vocatus in Senatum Thomas Fairfaxius, Imperium novi Exercitus, ſummis Patrum acclamationibus ſuſcepit. Ad quem Lenthallus exquiſitam Orationem habuit; commemorando victorias ejus & quicquid bono publico hactenus feciſſet. *Et tu es,* inquit, *fortiſſime vir, quem publica regni pereuntis vota Religionis & Libertatis aſſertorem poſcunt. Tibi arma, urbes, exercitum tradimus. I, ulciſcere impios Dei, Regis, Regni hoſtes, & creſcentem indies virtutis tuæ expectationem feliciter ſupera novo victoriarum incremento.* Imperator actis ſubmiſsè gratiis; *Se à patria ſanguinem & vitam acceptam, pro ejus ſalute haud cunctanter fuſurum* reſpondit.

XVII. Hic tum Angliæ ſtatus. Non minus turbata Hibernia fuit. Rebelles Duncanona obſeſſa, Momoniam ſummis infeſtabant viribus, eo irritatiores, quod tum Mac-Quirius ſceleratæ conſpirationis particeps, & in ſcelere deprehenſus, Londini ſupplicio affectus eſſet. Ac quamvis acriter oppidum impugnarent, eo tamen potiti non ſunt, quod Svvanleius obſeſſis

ſubſidio veniſſet. Ita caſtris motis diſceſſum eſt, jactantibus Hibernis: *Id ſponte ſua, nulla neceſſitate factum. Solo Regis amore & obſequio motos, à quo juſſi ſint, Proteſtantibus, quantum poſſent, parcere.* Quæ in ſpeciem obtendi, nemo ignorabat, quanquam Rex flagrantiſſimo ſtudio, ejus gentis pacem affectaret. Igitur Ormondium urgere crebris literis; *quibuſcunque poſſet conditionibus, ſalvo honore ac conſcientia, rebelles illos pacaret. Quippe bello continuato, neutiquam Proteſtantes ibidem conſervari poſſe; & Anglos, quantum in ſe ſit, omni Hibernia in Scotos tranſlata, non acquieturos, niſi Religione & poteſtate regia ſubverſis. Vnde ad conſervandum illud regnum & auxilia procuranda, nullam nimis duram videri debere conditionem. Certè inhibitionem pœnarum & Legum contra Papiſtas abolitionem, opus tam neceſſarium haudquaquam impedire debere. Quod ſi pax non coëat, ſaltem inducias in annum prorogandas, verſis in Scotos & Inchequinium armis. Interea eam ſperari poſſe rerum mutationem, ut aut minora Hiberni accepturi ſint, aut ipſe concedere majora queat.* Et ſpem novam fractæ domi Scotorum res fecerunt, ubi Argilius, gravi damno per ſuorum negligentiam, à Montroſio affectus eſt, cæſis ferè & captis CIↃ IↃ. Contra quem Parlamentum ejus gentis, exercitu decem millium, dehinc bellum gerere, & provincias ab incurſionibus defendere conſtituit, damnatuſq;

ipſe

ipſe cum aliis viginti Regulis eſt, tanquam patriæ traditor & perduellis. In Comitem Carnevvorthium gravior ſententia dicta, honoribus ejus & bonis in filium collatis, ſic tamen, ut magna pars fiſco accederet. Data cunctis, ſi aliter ad pœnas rapi non poſſet, eum occidendi poteſtas. Cumque Crafordius, Oglebius, Grajus, & alii, carceribus effractis fugere conati eſſent, eo tempore quo Parlamentum exequiis Nobiliſſimi Heringtonii occupabatur, arctior cuſtodia ipſis impoſita eſt, donec de cauſa ipſorum cognoſceretur.

XVIII. At Uxbridgæ, commeantibus invicem nunciis, nihil in ſumma pacis profectum. Scripto cuncta peragere viſum, niſi in omnibus conveniret, irrito quicquid tranſactum. Prima religionis cura fuit. Parlamentum abrogata Hierarchia Epiſcopali, & libro Communium precum, Preſbyteria, Claſſes, Synodos, Directorium, inſtitui voluit. Quæſitum à regiis quid per hæc intelligerent? Doctor Steuardus Epiſcopatum ex profeſſo aſſeruit, dicens; *Sine magno peccato & crimine, non poſſe eum ordinem abrogari. Nec ſi quid in moribus labet, defuturum corrigendi authorem.* Lovius, quod Oxonienſium paci adverſantia conſilia, pro concione liberius tetigiſſet, ne cauſa diſſidii daretur, Londinum remiſſus eſt, ut rationem verborum ſuorum redderet. Poſt longam altercationem,

regii Superintendentes ſingulis imponendos Provinciis, quod in Germania alicubi receptum eſt, obtulerunt, inani, ut putabatur, vocis ludibrio, vim Hierarchiæ complectentes, cum ſolum nomen remitterent. *Quid enim interſit Epiſcopi an Superintendentes vocentur, illi animarum & conſcientiæ dominatores? Et an Laudus extremus Epiſcoporum? Aſperiora imminere, ac vitia reditura, niſi in æternum Tyrannis illa exſcindatur.* Ultra tum non proceſſum, Rege Synodum Nationalem omnium totius Europæ Proteſtantium, altius adhuc recondente, quam ſub finem, per Legatos Belgarum, plauſibili pacis argumento, promeret. Jamque ſatis apparebat, quod callidi temporum ac ſapientes prædixerunt, *irritam pacis ſpem; & ſæviora reſtare; nec futurum ſtabile, quod armati pepegiſſent. Facile cupidis vindictæ Principibus ea evenire, quibus ſoluta eſſe pacta, aut jactent aut credant. Itaque in ſuſpecta pace tutius bellum.* Nec impetrari potuit ut Rex Nationali federi accederet, vel bellum contra Hibernos approbaret, quod induciæ iis indultæ eſſent, quas ſalvo honore rumpere non poſſet. Et penitus, quicquid ſpei reſtabat, evanuit, cum de militia ageretur. Non niſi ad triennium, per viginti æqualiter ab utraque parte lectos, conſtitui eam regii voluerunt. Poſt illud tempus perduellio eſſet eam prorogare. Hæc palam acta. Reginæ ſecretis nunciis ſignificatum;

catum: *Pacis nullam ſpem. Annum, ſi quis alius, belli acerrimum fore. De conſtantia Regis erga Epiſcopos & amicos ſuos ne dubitet. Brevi huic perpetuò Parlamento finem impoſitum iri.* Hæ tum ſpes erant: ſed experimentum, poſt fatalem Leceſtriam, contra fuit.

XIX. Dum Stoakam VVigorniæ Brigdius VVarvvicenſium præfectus capit, Purefoyus, magna laude, Combdonam ei vicinam, nocturno furto pene amiſſam, ſervavit. Circiter CIↃ CC hoſtium, ſub Northamptonio, in arcem, cunctis altum ſtertentibus ad Lunæ radios, tertia noctis vigilia, evaſerant. Capti in lectis militum ultra triginta, cum reliqui audito tumultu, arma ſubito arripiunt, & hinc inde palantes invadunt, ac ex feneſtris turbant. Secuta in tenebris fuga, denuo pugna, tum incendium, quod hoſtes undique in cluſi, tectis immiſerant. Tandem expugnati, multis cæſis atque captis, reliqui, infecta re, fuga ſibi conſuluerunt. Ala quoque equitum, à Northamptoniis, apud Suttonam, prope Banburin, cæſa eſt. Kirbyam Leceſtriis ſub Hackero munientibus, Belvoira & Nevvarka adveniunt regii; fortiter repelluntur. Dum confuſa paſſim pugna eſt, pulvis nitratus ignem concipit. Eo impetu pars ædis disjicitur, magno præſidii bono. Quippe in hiantibus ruinis magnum argenti pondus, repertum fuit. Haſtingius etiam à Derbiis & Le-

 ceſtriis,

ceſtriis, circa Aſhbiam; Hoptonus Evillæ à Sydenhamo aliquid damni paſſus; & Aliſburii VVheatleiæ, quarto ab Oxonio lapide, regios oppreſſerunt, duobus potiti centurionibus & uno ſub-tribuno. Major Gerardi in Cambria clades. Qui Cardiganam obſidione premens, jamque oppido capto aciem auſus, à Laughornio, quem obſeſſi ex Pembrochia properis nunciis evocarant, cæditur. Interfectis ducenis, centum quinquaginta, magnuſque armorum numerus, in poteſtatem venerunt. Mira obſeſſorum conſtantia fuit. Cum Gerardus omnes morti adjudicaret, niſi caſtellum præfinito ſpatio dederent, animoſe Poolius præfectus reſpondit: *Aliquot recentes pelles ſupereſſe. Iis abſumtis, pro vita pugnaturos.* Ita invicto animo hoſtem ſuſtinuerunt, donec Laughornius adventaret, cui flumen, ponte interciſo, novis operibus ſuperandum fuit. Et tum miſſa in Caſtellum cum literis ſagitta, obſeſſis auxilia in promtu eſſe ſignificavit, ac prælium eo, ut diximus, ſucceſſu, commiſſum eſt. Holbornius oppido Sherborna occupato, regios in caſtellum fugavit, levibus ſubinde præliis Goringium exercens. Qui mox VVeymoutham obſedit, eamque expugnato proditione civium quorundam validiſſimo munimento, in extremas anguſtias conjecit, cum jam nihil præter arcem reſtaret. Hujus urbis neceſſitate moti Ordines, undique

auxilia

auxilia contraxerunt. Juſſus quam celerrime VVallerus obſeſſis ſuccurrere. Sed eum equeſtris ſeditio exercebat, eoque imparatior erat. Nam ſeptingenti equites, æmulatione ducum, qui mutabantur, commoti, ſeceſſione Croidam & Bedfordiam facta, imperia abnuere, militari licentia ferociores. Nihilominus dux impiger VVeimoutham advolat, jam una munitione à Sydenhamo recepta. Et ex Dovvnis atq; Portſmoutha duę naves ſubſidio obſeſſis miſſę, Dartmouthenſem juratam, cum octodecim tormentis, ceperunt, Melcombâ quoq; potiti. Regiis tamen integra adhuc ſpes ejus oppidi potiundi, interceptæq; à Ludovico Divite ad Rupertum literæ, quibus exaggeratis VVallerianorum diſſenſionibus, ſupplementum cIↃ IↃ peditum poſtulat. Iis mature ſubmiſſis, haud dubie VVaymoutham, à qua Regnum Angliæ dependeat, ſe retenturos. VVaymouthenſium conſtantiam Malmeſburii imitabantur. Miſſi à Devercuxio, Roudam, quod ſitu commodo & Tvvitnæ vicina eſſet, muniunt. Quo comperto, Regiorum Devizibus ac ex aliis Hoptoni & Goringii hybernis, duo millia coëunt, & ædem adhuc imperfectis munitionibus, circumſident. Integro triduo vim obſeſſi ſuſtinuerunt, donec Maſſejus, in Danico ſaltu ædem Ioh. Winteri obſidens, Glaceſtria advolans, obſidionem ſolveret. Acrior adhuc Plymmouthen-

thenſium libertas. Qui toto jam biennio obſeſſi, vario ſucceſſu plerumque feliciter pugnarunt; & nova hoc tempore Grenvilio clades, quingentis cæſis, inflicta eſt. Haud melior Skiptonenſium fortuna. Qui eruptione facta, cum pleroſque militesKighteliæ intercepiſſent, antequam ſe in caſtellum reciperent, à Lamberti legionariis oppreſſi ſunt; captuſq; Hugo, arcis præfectus. Atq; ut Scarborougham Meldrumus, ita Beſtonum & Ceſtriam Breretonus obſedit, contra Mauritii ex V Vigornia, Staffordia, Herfordia, Salopia, coëuntes copias, Derbios, Leceſtrios, Nottinghamios, advocans. Inter hæc Uxbridga, cum nihil ad ſummam pacis, etiam prorogato, quod Rex Galliæ deſideraverat, ſpatio proficeretur, irritatis utrimque animis diſceſſum eſt, his Regem omni poteſtate Eccleſiaſtica & civili ſpoliatum; illis, nec Religionem, nec Libertatem ſalvam eſſe poſſe, conquerentibus. Jactatumque fuit: *Niſi Deus animos Oxonienſium excæcaſſet, haud quaquam per vana & deformia Hibernorum ac aliunde petita auxilia, excitatis inſuper in Proteſtantes Proteſtantibus, bellum quam pacem, honeſtis & æquis conditionibus prælaturos. Sed Epiſcopos ac ſanguinolentos Hibernos, urgentibus Imperiis tranſmarinis, fato quodam & obſtinato conſiliorum tenore, prævaluiſſe.* Paulo antequam conventus diſſolveretur, Legati Belgarum, audientia impetrata, in hæc verba

verba dixerunt: *Propter mutua utrimque federa, & neceſſitudinem gentium, pro pace & componendis diſſidiis miſſos, perſpectumque ſibi Regem ante omnia pacem velle, & quæcunque juſta ac honorifica ſint, indulturum. Nec metuenda impoſterum mala ſi quæ olim fuerint ab Epiſcopis, & ea eſſe oblata, ut regimen Eccleſiæ ſalvum eſſe omnino queat. Sed nihilominus de eo adhuc diſceptari; & Regem, ex abundanti, Nationalem Synodum omnium Proteſtantium Eccleſiarum totius Europæ, quamprimum convocandam offerre, ex cujus judicio, ſi quis in Religione vel regimine error ſit, corrigatur.* Diſplicuit hoc Patribus & cauſam diſſidio quæri fremebant. *Cur enim ſe ipſos judices faciant, pro Rege, quem ſolum audierint, ſententia dicta? Cur corrigi Epiſcopatum velint, pro cujus everſione ſciant fedus à tribus regnis initum? Nec quenquam intelligere poſſe, quomodo per moderatos Epiſcopos firmior cum Belgis & aliis Proteſtantibus, apud quos aliud regimen, unio iniri queat. Enimvero conſilium Nationalis Synodi inopportunum multis modis & alienum eſſe, jam ante annum totius Britanniæ Synodo convocata, cujus tum conſiliis, pro Regimine Eccleſiæ, tum laboribus in Directorio, confeſſione fidei, Catechiſmo, utantur.* Ita Synodo Nationali rejecta, ſimul pacis negotium omiſſum eſt.

XX. Finem Uxbridgenſis conventus & hujus menſis, excepit Scarboroughæ, oppidi ac portus, per Meldrumum, paulo poſt turbine in præ-

cipitia, dum tormentis in caſtellum dirigendis ſatagit, graviter afflictum, Salopiæ per Mittonum expugnatio. Scarboroughæ xxx tormenta, cxx naves in poteſtatem conceſſerunt. Et Salopiam quidem Mittonus hoc modo intercepit. Cum Franciſcus Oatlejus Salopienſis præfectus, Arrajæ intentus, in Johannis Pricii, ex Montgomeria erumpentis, manus incidiſſet, præſidium quoque à Principe Mauritio, tum in Ceſtriam contra Breretonum pro Beeſtono liberando, eunte, imminutum eſt. Hac occaſione uſus Mittonus, vir magni animi, & expertus conſiliorum, collectis ex Staffordia & Ceſtria militum cIↄcc, ante ortum Solis urbem ſine ulla clade, & paulo poſt, caſtellum, intercipit. Multum juvit ſecreta quorundam civium, liberam cum Londinenſibus mercaturam deſiderantium, invitatio. Hic caſus ſupra quam credi poteſt Regem perturbavit, & afflictas Parlamenti res ad majorem ſpem erexit, quod urbs, armorum officina, magni ad retinendam in obſequio Cambriam Septentrionalem, momenti eſſet. Et quamvis Mauritio intentæ curæ, ut hanc cladem emendaret, res tamen ſucceſſu caruit. Jamque complures in ea Provincia, armis pro libertate captis, res novas contra Regem moliebantur. Ac continuo ſucceſſuum curſu, VVaymoutham quoque, jam in tertiam ſeptimanam regiis inſeſſam, magna felicitate

citate Sydenhamus liberavit, cæſis captiſque Goringianorum amplius trecentis. In quem portum navis ex Normannia cum armis delata, ignara tantæ mutationis, in medios hoſtes incidit. Poſt hanc cladem Goringii copiæ iterum diſperſæ, & magnam partem in antiqua præſidia, Portlandiam, Devizas, Briſtoliam diſtributæ ſunt, cæteris per VVintoniam palantibus.

XXI. Et quoniam nunc novum bellum, novi utrimque Imperatores, alia conſilia, ſpes diverſæ ſuccedunt, antequam deſtinata componam, repetendum videtur, qualis tum ſtatus partium fuerit, quæ mens exercituum, quis habitus Provinciarum; ut non modo caſus eventuſque rerum, ſed ratio etiam & cauſæ noſcantur. Initio irrita Pax varia utrimque invidia jactabatur. Rex ſuos omnia æqua obtuliſſe, cæteris extrema tuentibus, dicebat: *Ne captivo quidem duriora imperari potuiſſe. Tum jam ſibi compertum, à Parlamento ad Scotos omnem Hiberniam tranſlatam. Vnde non illam quam prætendant, Eccleſiæ Reformationem ex præcipuis motuum cauſis, ac ne ſolam quidem eſſe.* Ut haud quaquam dubitaret, omni ruptæ pacis invidia in Parlamentum conjecta, ſuis partibus magnum, cum æſtimio, robur acceſſurum. Contra alii differere, *Penes illos utique culpam irritæ pacis ſitam, qui Epiſcopos & rebelles Hibernos, quorum illi Tyrannidis in* Eccle-

Eccleſiam Dei convicti ſint; hos ob immanem Proteſtantium lanienam, totus, præter Papiſtas, orbis execratur, tanta contentione, tantiſque artibus defendebant. Nam qua conſcientia Parlamentum ſanguinem pluſquam centum millium innocentiſſimorum, quos monſtra illa, prioribus ſeculis non niſi Lutetiæ audita barbare jugularint, inultum relinquere potuerit, pace & omnium culparum venia, libertate inſuper parricidialis ſuperſtitionis, indulta? Northumbrius, Regiæ prolis moderator, vocata Londinenſium concione: *In tribus,* inquit *capitibus, de quibus tractatum eſt nihil ab adverſariis impetrari potuit. Epiſcoporum abolitio, Directorii ſtabilimentum, fedus, Militia, Bellum Hibernicum, omnia nobis denegata. Reſtat ut armis pacem quæramus. Et ſpem Salopia ac VVeymoutha faciunt. Sed pecunia opus, quam à vobis, viri Londinenſes, expectamus.* Porro conſideratis quæ ad expeditionem neceſſaria ſunt, Rex haud dubiè apparatu ſuperior fuit. Arma, conſilia, vires in expedito. Occidente & Cambria paucis locis exceptis, omni, apud Mercios per præſidia, à Carleola Oxonium uſque extenſa, Provinciis juxta cum Parlamento fruebatur. Exercitus firmus duplex; unus apud Oxonium; alter in Occidente ſub Carolo Principe Cambrorum, ex Grenvilii, Goringii, Marleboroughii, Hoptoni copiis, recens conflatus. Tum proximi anni victoriæ animos augebant, & in Septentrione victor ſępe Montroſius. Hęc in Britannia.

Extra

Extra eam, peregrina ab Hibernis, Gallis, Lotharingis auxilia. Quæ ut certiora eſſent, Rex ſpem fecit, *placita ac cautiones contra Romano-Catholicos, quamprimum eam Deus facultatem dederit, ſe omnia refixurum*. Hinc in partes ejus accenſa ſtudia, & cauſam illam, tanquam Romanæ Religionis, infenſi tutabantur. Mari tamen nulla fere potentia, niſi quod prædatoriis navibus, Dartmoutho, Briſtolia, & ex Belgio ac Gallia emiſſis, omnia littora & mercaturam, frequentibus damnis infeſtarent. Parlamenti res amplæ, ſed incompoſitæ, propter Ducum tam graves æmulationes, ut exemplum quoque ad milites tranſiret, quorum haud pauci manifeſtè tumultuabantur, & Provincias affli̇ctabant. Nec aliud diſcordantis militiæ remedium erat, quam ut ab uno regeretur. In Occidente, præter Tauntonam & Plymouthum (& utraque laborabat) nihil firmi. Cambria omnis, ad Pembrochiam uſque, amiſſa. Merciam ac Northumbriam ex æquo Rex tenebat. Solæ ad Auſtrum & Orientem, populo ac opibus graves Provinciæ, immuneſque belli hactenus; Suſſexia, Surria, Cantium, Eſſexia, & priſcum Eaſt Angliæ regnum, quod Suffolciam, Norfolciam, & Cantabrigiam, complectitur. Grande momentum in nomine urbis ac Senatus, & ſupererat mare, claſſes, ſtudia Provinciarum; ac exteræ Proteſtantium nationes. Quæ cum armis

non

non poſſent, precibus ac votis, piam cauſam, contra Hibernos rebelles, proſequebantur. Exercitus ad manum nullus, ſed ſparſæ per Provincias copiæ, diviſis pro Ducum affectu & numero, animis. Laſcivire jam miles & diſcordare. Nec levis transfugii metus, ſi quid novi decerneretur. Tum lenta & ad hoſtem delata conſilia, nihil in tempore paratum, multi lævis averſiſque animis, neque domi, quam in campo, periculoſiores inſidiæ. Ita nunquam in majori ſpe Rex fuit, quam hoc tempore; quod illa populi diſſidia, magnam rei benè gerendæ occaſionem præberent. Et tamen præter opinionem poſtea cecidit aliter.

XXII. Bellum hoc tempore per Occidentem & Septentrionem gerebatur. VVallerus, vir ſemper animis ſucceſſuque egregius, ſimul inferendi arcendique belli cura, tripertitis copiis, apud Laringtonam Somerſetiæ, haud procul Devizibus, regiam Legionem obruit equeſtri procella, captis ultra CCC, quos inter Longius VViltoniæ Vicecomes & Centurionum octo. Tum Briſtolia, Bathonia, Devizibus infeſtatis, in Dorſetiam, Cromvvello & Holbornio ſe juncturus, conceſſit. Quippe Hoptonus & Grenvilius, ille Briſtolia confirmata, hic Plymmoutho iterum obſeſſo, copias ſuas Goringio Hunningtonæ apud Devonios junxerant, circa Schaftſburin, Comptonam,
Stoa-

Stoaram, motus ejus obſervaturi. Ac, comperto VVallerum denuo copias ſuas partitum, diviſos aggrediuntur. Unde quod nec peditatu quicquam valerent, & alter auxilio alteri, propter intercedentem hoſtem venire non poſſet, quiſque ſibi maturo in tuta receptu conſuluit. Cromvvellus Sturmiſterâ Chiloxfordiam & Ringvvoodum, Holbornius Tauntonam petiit, VVallero per aperta Somerſetiæ & Dorſetiam vagante. Tum temporis quendam Cavallerium, inter compotationes immodicas Diabolum provocantem, Salisburiæ ejus immundii genii violentia abreptum, conſtans fama fuit.

XXIII. At in Herfordia, VVigornia, Radnoria, Provinciales militum pertæſi injurias, arma capiunt. Initio medii adhuc, ſolam vim perſequi videbantur. Mox, ut varium & mutabile vulgus eſt, Scudamorium & Herfordiam infenſo agmine petunt: donec ſpe mitioris impoſterum Imperii, & aliqua damnorum compenſatione pacati, domum reverterentur, ultimos eorum motus, Principe Ruperto, armis comprimente. Qui collatis in unum cum fratre Mauritio, Langdale, Gerardo copiis, inſtar CCIↃↃ exercitum contraxit. Unde Breretonus ac Fairfaxius, ſecundarum ambiguarumque ſcientes, ac propterea interriti Duces, auxilia circumſpicere; ne obſidionibus ſuis in-

D tenti,

tenti, à potentiore hoſte cæderentur. Breretonus Ceſtriam ac Beeſtonum, Fairfaxius Pontefractum; Scarborougham Meldrumus obſidebant. Nec ulla niſi à Scotis auxilia ſperari poterant; quorum tamen adventus, propter anceps cum Montroſio bellum, adhuc incertus. Nam is exigua cum Hibernorum ac Highlandorum, per latrocinia & raptus, ad furta belli peridonea manu, montes in Atholia aſperos, caſtris cepit. Atque inde in plana decurſu facto, vim cultoribus & oppidanis audebant, contra irrumpentes montibus ſuis defenſi. Ita ut magnas in Moraviam Bailius & Hurrejus Perthæ adunati copias ductarent; nec minore quam XII CIↃ exercitu, Provinciis defendendis, opus eſſet. Aberdoniâ potitum, Hurrejus clade nocturna, cæſo Donaldo Farvvharſon, & aliis tribunis, ordinumque ductoribus, ac paulo poſt CIↃ IↃ in fugam actis, multavit. Nihilominus ille, nunc quaſi vitabundus, per ſaltuoſa loca & tramites exercitum ducere, nunc ſubito improviſos turbare; & inter montes ſuos hærere impenetrabilis, unde paulo poſt eundem terrorem Scotiæ inferret.

XXIV. Breretonus omnium primo Salopiam firmo CIↃ IↃ præſidio firmavit, quod eam urbem, ante alias, regios invaſuros, præſertim ſi imparata eſſet, arbitraretur. Deinde cum Ovvenum XIII vexilla Beeſtonenſibus ſubſi-

ſubſidio ducentem ad Holtbrigdam cæcidiſſet, recepto ad ſe cum ɪᴠ cIↄ Scotis Davide Leſleio, & quibuſdam Fairfaxii copiis auctus, Ceſtriæ obſidionem, ut eo paratior ad prælium campeſtre eſſet, deſeruit. Regii, quo pluribus in locis hoſtem diſtinerent; ita copias diviſerunt, ut ſicubi opus, promte conjungi poſſent. Langdale, dux inquies & occaſionum haud ſegnis, cum millenis duobus, in Eboracenſem agrum tendere videbatur, trepidante etiam Eaſt-Anglia & Crafordio Cantabrigiam properante, ut eas partes maturè cum exercitu contra invaſionem tutaretur. Rex per Leceſtriam & Staffordiam aliquandiu vagus, carpente ultimum agmen Roſſitero, Pontefractum magna celeritate evaſit, & tumultuario certamine, ſed memorabili clade, Fairfaxianos, quorum Forbeſius Dux, ſternit, cæſis captiſque amplius ccc c. Prælium inter Pontefractum & Ferribridgam commiſſum eſt. Fuit ea inſignis victoria, & exinde clarus ac magnus haberi Langdale. Fairfaxius Boltoni quoque obſidio ſoluto, cum xv turmas equitum Scotorum Levenius ſubmiſiſſet, jam fere vɪ cIↄ trahens, reditum Langdalio in auſtrales Provincias intercludere moliebatur, & cladem regerere. Quod ſucceſſu caruit; & ipſe Nevvarkam primo, inde in Ceſtriam elapſus eſt; nullo notabili damno accepto, quanquam Roſſiter,

 & alii,

& alii, crebrǫ terga abeuntis, & ſemel acrius circa Doncaſtrum, laceſſerent, ac ex Carnabii Legione Joh. Savilius haud levem numerum profligaſſet. Rupertus, collectis undique copiis, juſti jam exercitus ductor, in Ceſtriam & Lancaſtriam agmen agebat, viginti ſecum curulia tormenta, velut ad magnam expeditionem, trahens; & ſollicitis ómnibus quorſum is apparatus ſpectaret. Mox ſoluta Ceſtriæ & Beeſtoni obſidione, verſo in auſtrum itinere, non alium ejus expeditionis finem fuiſſe compertum eſt, quam ut novo militum delectu auctis copiis, Provinciarum præſidia confirmaret. In VVigornia Iacobo Aſhleio junctus, circa Ledburin contra tumultuantes Provinciales pugnavit; quibus auxilio Maſſejus venit, Lydneiæ obſidioni intentus, ſimulque Danicum ſaltum ab invaſione defenſurus.

XXV. Breretonus cognito Ruperti diſceſſu, Ceſtriam & Beſtonum denuo obſidere cœpit, à quo cum c I ɔ I ɔ equitum Roſſiter reverſus in Nevvarkios prædones circa Svvinſteadum incidit. Qui paulo ante à proditoribus nonnullis invitati, collectis ex Belvoira, Mortono, Shelfordia copiis, Granthamum Lincolniæ, fruſtra tentaverant. Ac propterea flexo in Hollandiam impetu, circa Svvinſteadum, (ubi ante annos c c c c & quod excurrit, Simon Monachus Ciſtertienſis, Regem Iohannem

veneno

veneno ſuſtulit) munitionem aliquam excitaturi, conſident. Donec adventu Roſſiteri cognito, ſe cum præda in oppidum reciperent. Aliquam Northamptoniis cladem Banburii inflixêre; cæſis duobus centurionibus; cum quidem VVickhami quoque nonnulli, vino potius quam vigiliis indulgentes, oppreſſi eſſent; maria omnia piratis graviter infeſtantibus. Quos inter præcipui Duynkerkani, captas Parlamenti naves in Hiſpaniam furto abſtrahentes. Conqueſtiq; ea de injuria apud LegatumHiſpanum Ordines, inania verborum pro damno ſuo tulerunt. Ac paulo poſt in ipſam prædatoriis Lembis Cornubiam Turcæ Mauritani excurrere auſi ſunt, abſtractis in Muhammedicam ſervitutem Foya pluſquam c c Anglorum.

XXVI. At Londini & Oxonii cuncta æmulationum & odiorum plena propter mutatam militiam, & quod Uxbridga ſine pace diſceſſum eſſet. Nam qui media præ extremis, quieta præ turbidis malebant, Digbium cui nihil pace gravius erat, tanquam furiam facemque belli, quia flagrantiſſimus in amicitia Regis, deteſtantes, pacem novis conſiliis quærendam fremebant. In qua ſententia Suſſexius; Percius, VVilmotus fuerunt, à Rege offenſo, Lutetiam (ſed honor prætexebatur & Legationis ſpecies) ſepoſiti, rejecto inſuper, non levi multorum indignatione, uſque in Octobrem,

 con-

conventu illo, quod Parlamentum vocant. Adverſum id Regi, & tanquam ſubductæ poteſtatis pudorem ſuſtuliſſet, lætior amoto fuit. Nec ſibi voce quadam temperavit, quæ in contemtûm accepta, cum ex literis poſtea interceptis innotuiſſet. Hinc offenſa apud multos, & pax bello prælata. Delatuſque Londinum Savilius, tanquam partium pertæſus, alte ſuſpectabatur; ac intra certam diem urbe excedere juſſus eſt; niſi vellet pro hoſte haberi. Quæ tum ob controverſiam de mutanda militia, diſcors: & altius indies in animos ſuſpiciones deſcendebant, criminantibus nonnullis; id agi, ut procerum omnis authoritas tollatur. Et hęc paſſim, tota urbe, alendo diſſidio, jactabantur, communi ſolenniter teſtante: *Nihil à ſe ſpectari aliud, quam ut adunatis conſiliis bonum publicum promoveatur: nec minus procerum ſibi curæ privilegia, quam propriam ſalutem eſſe.* Miſſuſque ob eam rem ad proceres Joh. Evelinus, fuſe de affectu Patrum erga Nobilitatem, concordia & unione utriuſque domus Parlamenti diſſeruit, laudatique majores ipſorum, ingentes animæ, quibus libertas populi vita charior, in deſperatiſſimis temporibus fuerit.

XXVII. Inter has turbas, futuræ in præceps ver expeditioni, utraque pars, intenti erant. Rex diſtributis inter Duces Provinciis, Principes, Rupertum, Mauritium, cum Derbio,

bio, Langdale, Byrono, Cambriam & Septentrionem curare jubet. Occidentis res Hoptono, Grenvilio, Goringio commendatæ, quibus Princeps, nomen ſummi Imperatoris, & jam decorum ſe promptumque in armis oſtendens, additus. Claſſi Regiæ paucarum navium Iohannes Penningtonus præerat. Multi magnitudine criminum à ſpe veniæ excluſi, partes obſtinavere, atque his ſtrenue aut mori aut vincere placebat. Aliis afflicta fides in pace: ac hi turbatis rebus alacres, ac per incerta tutiſſimi, perdere alios, quam periclitari ipſi maluerunt. Quippe ita ſe mores habent, ut publica quivis ruina malit occidere, quam ſua proteri, & idem paſſurus minus conſpici. Briſtolius, Cottingtonus, Digbius, conſilia moderabantur Oxonii, quam civitatem Brovvnius Abbingtonenſium præfectus, excurſionibus infeſtabat. Contra has regii apparatus minas, Parlamentum Eſſexii, Mancheſtrii, VValleri copias in unum exercitum contraxit: & delectus undique, ſupplendis Legionibus, habiti. Sed tumultuantes milites non levem curam injecerunt. Qui Hiſpanorum apud Belgas exemplo, adductioris diſciplinæ concilio inſtituto, in peccantes ſevere animadvertebant, mutatuſque in ſingulos dies præfectus. Maxima ſeditioſorum vis in Harffordia ſubſiſtebat. Eadem Readingam contagio infecerat; cum miles

nunc ſe exautorandum indignaretur, nunc quaſi de ſtipendiis incertus, Imperia haud occulte detrectaret. Parlamentum omnibus illis, qui ante decimam quintam Martii ad obedientiam Ducum reverterentur, veniam obtulit. In contumaces minæ & legum ſeveritas: ut quos ſpes non poſſet, eos pœna corrigeret. Hac neceſſitate compulſa Cromvvelli Legio, veniam ſupplex petiit & impetravit. Cæteri in propoſito perſiſtebant. Et quanquam dolentius quam minacius cauſam ſuam agerent, tamen gliſcente indignatione, metus erat, ne adverſus nova Imperia ſe obſtinarent. Præſertim Rege magnificis promiſſis eos ſollicitante: tantaque fiducia erat, ut jam eos exercitui ſuo annumeraret. Quod fruſtra fuit. Quippe illi prætendere; *non hanc ſeceſſionis cauſam, nec ſe à Parlamenti fide diſceſſuros.* Sed & hoc novum Fairfaxii exercitum morabatur, quod hactenus inter proceres & commune, de militum tribunis, convenire non potuiſſet. Eaque diſceptatio per aliquot menſes protracta. Donec tandem Commune proceres ad aſſenſum permovit oſtenſa inevitabili neceſſitate: *Hoſtem jam firmis copiis ſupra caput ſtare. Quantum inde periculum oriturum ſit, ſi nondum conſtituto exercitu, in ditiſſimas ad Orientem Provincias, quæ ſolæ hactenus belli nervus fuerint, irruptionem moliatur? Ac ne dilationem quidem hoc negotium ferre, nedum ut apertum diſſidium tolerari*

lerari

lerari queat, aſſeveratione multa cenſebant.

XXVIII. Sic proceres aſſenſi ſunt, magno populi gaudio, quod jam tandem illa difficultas ſuperata eſſet, quæ hactenus exercitui novo, adeo obſtiterat. Et reputabant ſecum omnes, quanta neceſſitudine conflictati fuerint, dum exercitus prioris reliquiæ, cladibus ac tumultu militari adeo attenuatæ, Ducum inſuper æmulationibus diſtraherentur, valido Rege & maximis opportunitatibus intento. Quid futurum fuiſſet, promiſſis Hibernorum & Gallorum auxiliis accedentibus? Quorum tum magna, nec inanis fama erat. Quanquam ad terrorem numerus augeretur, & ipſi auxilia oſtenderent potius, quam ut laturi viderentur, niſi iniquiſſimis conditionibus emta. Præſertim apud Gallos omnia ambigua & ſuſpecta; nec leve negotium reginam matrem in partes trahendi. *Varias eſſe rerum viciſsitudines. Brevibus momentis ſumma verti, & fieri poſſe, ut paulo poſt aliena ope indigeat. Cur dubitaret, ſi quid impoſterum accideret, amicos ſibi parare?* Hiberni multa de auxiliis jactare in ſpeciem, & ut iniquiorem pacem extorquerent. Vires ipſorum domi inteſtino bello occupatæ, crebra damna; & uno hoc menſe quatuor in Connachia caſtellis exuti erant. Tum ſub alieno Duce, nulla vitæ gratia mereri, haud commodum videbatur. Sola in Lotharingicis copiis ſpes, quas

Rex, dum Londini adhuc diſſenſiones ferveant, rebus quoque in Scotia & Occidente ad votum euntibus, maturari volebat. Sed qua via trajiciendus miles non leviter dubitatum fuit, Batavis abnuentibus. Francia opportunior, quod ex ea breviſſimus in Occidentalia regni trajectus. Ibi enim, tanquam tutiſſimo loco, exponendum exercitum, ubi Shelſcia prope Ciceſtriam, aliique portus in poteſtate ſint.

XXIX. Ea tum rerum in Anglia facies erat, ut Rex, proxima æſtate, præceptis animo victoriis, patrari poſſe bellum crederet. Qua de re ad conjugem ſcribens; *Rebellium*, inquit, *conditio, longe nunc, quam putatur, infirmior eſt. Pecunia, miles, omnia tarde colliguntur. Nec dubie labant, & ut ex perito talium rerum mihi conſtat, denuo petendæ pacis conſilium ſumunt, ſpe felicioris ſucceſſus, ſi tu operam impendas. Quanquam ego, niſi æquiores Religionis & Militiæ conditiones proponant, nomen tuum profanari nolim.* Miſſæ inſuper ad ordines Belgarum per Borelium & Reinſvvodam literæ; quibus Rex, commendato Legatorum pro componendis diffidiis æquabili ſtudio, teſtatur *ſibi pacis conſtans ac perpetuum deſiderium, nec quicquam Religione antiquius. Remiſſurum quoque libenter totam controverſiam ad ipſorum judicia: tantum inſtar ſe in amicitia Ordinum, cum alias, tum nupera imprimis Legatione perſpecta, collocare. Quod ſi auxilia paci promovendæ neceſſa-*

neceſſaria impendant, tum intellecturos, quam ipſorum ſtatui, omnibus occaſionibus, utilis futurus ſit.

XXX. Hac coëuntium auxiliorum fama, excitati Ordines, maturare novum exercitum cœperunt; cum quidem Eſſexius, Mancheſtrius, Denbigius, VVarvvicenſis, militia ſimul ſe abdicarunt, fidei ac obſervantiæ argumento. Ac Eſſexius quidem libello magnatibus exhibito; præfecturæ ſummam ediſſeruit. *Nec ſe commemoraturum, quæ tertium jam annum belligeranti, ſæva vel proſpera eveniſſent. Cæterum*, inquit, *quod non citius, Imperium, ac ſtatim poſt liberatam Gloceſtriam reſtitui, factum non mea (quicquid alii exiſtiment) culpa, ſed quod id ex utilitate Reipublicæ multis ſpectatæ fidei, & in quos ſuſpicio non cadit, eſſe videretur. Nunc quod fauſtum fortunatumque ſit, Imperium vobis cedo. Suſpiciones quidem in tantis diſtractionibus evitari nequeunt. Cæterum ſapientia & charitas iis moderari debent, ne publico noceant. Et hanc admonitionem meam non inopportunam fore ſpero, quæ ex ſolo erga Parlamentum affectu proficiſcitur, cui proſpera omnia, mei incurioſus, precor. Non primus ſum cui talia contigerunt.*

XXXI. Ita Eſſexius Imperio ſe abdicavit, Dux bello acerrimus, virtute eximius, animo ſemper magnus. Sæpe victor, campo nunquam, niſi in Cornubia, loci iniquitate & inopia, exutus. In obeundis expeditionibus, dubium cau-

tior

tior an audentior. Circumſpectus, & ubi ad rem ventum, manu promtus. Nec temere pugnans, nec ubi pugnandum, utcunque viribus inferior, hoſti cedens. Compoſitius cuncta, quam feſtinantius agens. Et hanc fortaſſe virtutem ejus alii pro cunctatione acceperunt. Quippe *initio belli aliam Parlamenti, aliam Regiorum conditionem fuiſſe. Illi opes, arma, militem, Provincialium animos in promtu: his adverſa omnia. Igitur qui tum facile opprimi potuiſſent, inter cunctationes virium acceſſione formidabiles factos.* Contra alii prudentiam Imperatoris laudare: *Multa impetu valida bella per moras evanuiſſe; & initio feſtinationem hoſtibus, cunctationem ipſi utilem fuiſſe, donec animi confirmarentur. Quanto enim periculo Kynetoni pugnatum ſit? Quinque Legiones fuga dilapſas. Alios ad hoſtem ſigna tranſtuliſſe. Et utcunque Regii toto apparatu belli infirmiores fuerant; mox tamen exercitu & campeſtri bello, invaluiſſe. Denique & in Belgio, propter ducum pugnacitatem, inter primos motus, ſæpe periclitatum. Donec cunctando, munitionibus, obſidiis, libertatem ſtabilirent.* Atque hæc varie jactabantur.

XXXII. Supra dictum, Ormondio pacis Hibernicæ negotium commiſſum fuiſſe. Cumque Rex videret Hibernos alta admodum poſtulare, ac tanto tempore, tot conſultationibus ac colloquiis, nihil adhuc per Ormondium, ad ſummam pacis, effectum eſſe, tandem

dem Glamorgio pleniſſimam facultatem conceſſit, omnia illa Hibernis Catholicis indulgendi, quæ neceſſitas ſuaderet & cogeret. Is eratHerbertus Raglandię Baro, Vigornii filius, ob hanc imprimis operam Comes Glamorgiæ creatus, acris Papiſta, & in magno apud rebelles æſtimio. Ei literas ac authoritatem in hæc verba dedit: CAROLVS D.G. *Rex Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ, Fidei Defenſor, fideli & dilecto cognato Edoardo Comiti Glamorgano S. Confiſi ſapientiæ & fidei tuæ, his literis, velut ſub magno ſigillo noſtro, authoritatem ac poteſtatem tibi damus tractandi & concludendi cum Confederatis Romano-Catholicis Hiberniæ, omniaque illa indulgendi, quæ neceſſitas ſuadet, & tam commode per Legatum noſtrum expediri nequeunt, nec à nobis impræſentiarum publice admitti. Igitur mandamus, ut hæc, quantum fieri poteſt quam ſecretiſſime expedias. Quodcunque meo nomine promittendum exiſtimaris, id verbo Regis & Chriſtiani teſtor, me confederatis Catholicis conceſſurum, qui ſupplementis ſuis zelum ſuum erga me & cauſam meam abunde oſtenderunt.* Oxonii ſub regio ſigillo, XII Martii, anno XX regni noſtri.

XXXIII. Hæ illæ literæ fuerunt, quibus Rex plenam & abſolutam Glamorgio poteſtatem dedit, qua ipſe, ut poſtea dicetur, turpiſſime abuſus fuit. Nec quicquam magis mirum accidit, quam eam rem, clam Digbio & Ormondio

mondio actam. Quippe Digbius Hiberniæ ſecretis præfectus erat, Ormondio Proregi totum cum rebellibus pacis negotium commiſſum fuerat. Sed Rex, cum impoſſibile videret, pacem cum Hibernis, ſub certa auxiliorum ſpe, expediri; omni invidia, quæ utique magna ante exitum hujus anni erupit, in ſolum Glamorgium conjecta, eum, clam cæteris, tanta poteſtate inſtruxit. Ita futurum erat, ut rebelles inſcio Ormondio ampliſſimis indultis ac promiſſionibus pacati, palam conditiones in ſpeciem & neceſſitatis intuitu æquas, & quæ excuſari poſſe viderentur, admitterent. Ex quo id conſequebatur Rex, ut primo Hiberniam ſibi firmaret. Deinde auxilia firma in Angliam tranſportarentur, qui miles ob mutua odia, vitæ inſuper exſpes, omnium obſtinatiſſime toto bello pugnavit.

RE-

RERUM BRITANNICARUM

Liber Secundus.

Res Aprilis, Maji, Iunii. Aprilis. I. Fairfaxius *exercitui præfectus.* II. *Milites tumultuantes pacantur.* Bluntius *Cantios compeſcit. Tauntonæ obſidium & neceſſitas.* Mauritius *VVigorniis novum juramentum imperat.* III. *Belgarum Legati abeunt.* IV. *Copiæ ad Tauntonam liberandam deſtinatæ.* Rupertus *Ceſtriæ imminet.* *Nottinghamiæ trepidatum.* V. *Proceres aliquot fœderi accedunt.* VI. Montroſii *clades & magnifica promiſſa. Hiberni cæduntur. Rex Gallos ſuſpectat. Ierminum ob temeritatem reprehendit.* VII. *Victoria* Cromvvelli, Fineſii, Brovvnii. *Bletchingtonum* VVindebancus *dedit.* Maius. VIII. Fairfaxii *in Occidentem expeditio.* IX. *Spes Regis de ſucceſſu hac æſtate. Ejus querela de Principe.* X. *Oxonio movet cum exercitu in Occidentem.* Fairfaxius *revocatus. Scarboroughæ ſtatus.* Meldrumi *obitus.* XI. Goringius *Tauntonam iterum*, Fairfaxius *Oxonium obſidet.* XII. *Rex terrorem late circumfert, Scotis recedentibus.* XIII. *Leceſtriam capit: & in ejus vicem* Maſſejus *Eveſhamum.* XIV. *Septentrio & aliæ Provinciæ nutant.* XV. *Oxonii obſidio ſoluta.* XVI. XVII. XVIII. *Trepidatio ob prælium imminens.* XIX. *Tauntonenſium fides.* XX. *Scoti appropinquant, & facti ſui rationem*

rationem reddunt. XXI. XXII. XXIII. XXIV. Prælium Nazebianum *accurate deſcribitur. Regii profligantur.* XXV. Skipponi *vulnerati magnanimitas.*

I. FInito Eſſexii Imperio, THOMAS FAIRFAXIUS, vir nec ſilendus, nec dicendus ſine cura, militiam ſuſcepit. Filius is natu maximus Ferdinandi Fairfaxii Dentonenſis, ex Eboracenſi agro. Cumque armorum à juventute cupidus eſſet, alta tum Britanniæ pace, in Batavia hoſtem virtutibus ſuis dignum quæſivit. Ibi aſſiduus in campo, in caſtris, non ſe luxui neque inertiæ corrumpendum dedit, ſed multo labore multaque cura in tantam claritudinem pervenit, ut ſummo Duci Franciſco Verio vehementer carus, ex Martia illa familia, Imperatorem quandoque Britannis daturus, uxorem peteret. Nec fatorum aſperitas tantum virum inertem deſtituit. Quippe ſub initia motuum, nulla jam pacis ſpe, primum in patriis caſtris militavit, & ſtrenuum ſe fortemque geſſit, prælio & conſilio bonus. Ab eo tempore clarus magnuſque haberi, & fama viri tota Anglia juſtiſſima admiratione celebrari. Nec repertus qui decedenti Eſſexio pluribus ſuffragiis ſuccederet, cum non ultra bellum trahere & per exhauſtas Provincias circumferre expediret. Ita imperium, quanquam rebus ambiguis, ne de patria deſperare videretur, nulla ambitione, promtus ala-

alacerque ſuſcepit, ac VVindſoram ad exercitum contendit, qui novus, ex reſiduis copiis, & robore provinciarum conflatus eſt. Inglorius is miles; atque hinc judicio vulgi & apud hoſtes, conquiſitis criminationibus, contemtibilis. Nemo inter eos antiqua ſtipendia numerare poterat. Aberant tituli & nobilitas. Ne equeſtris quidem, niſi in ipſo Imperatore dignitas. Quæ famam non virtutem minuebant; ac ille ex recenti delectu tyro, ordines ſervare, ferire hoſtem, cætera quæ veterani agunt, imitari, experimento quam diſciplina præſtabilior. Larga ei & nunquam dilata ſtipendia conſtituta: rigidior quoque parendi Lex, & adductior militiæ ordo. Protervia, furtum, laſcivia, ſi quid impii ore excidiſſet, graviter luendum. Hinc in civitatis faciem compoſita caſtra: pacatus per Provincias tranſitus. Exciſa caſtrorum vitia, & quamvis inveterati errores correcti. Non omnes tamen: cum conſilia Londino petenda, ſerius fere ac poſt res afferrentur. Tum factiones in vulgus magis ac magis gliſcere, quibuſdam propterea haud ſatis acriter pro exercitu animatis, quod Independentium in eo magna authoritas & potentia eſſet. Et ne res periculo carere videretur, quantum regno ac Reipublicæ metuendum eſſet, anxia in futurum cura, memorabant. Contra alii; *Periculorum in longos annos medela, præſentia*

 cor-

corrumpi ac negligi. Quæ ut metuenda ſint, incerta tamen & adhuc ſcrutanda eſſe. Publicam ſalutem quibuſcunq; manibus defendendam. Optandum, non eas propter Eccleſiæ regimem contentiones exortas, non eam animorum averſionem. Cæterum non propterea curam imminentium malorum, inopportuna formidine negligendam. Iam enim hoſtes in propinquo excidium & captivitatem intendere. Cum aut pereundum ſit, aut concordia, etiam cùm diverſis alenda, quis dubitet hoc eligendum eſſe? Naufragos non reſpuere eorum operam, qui, quanquam alio habitu, ad opem ferendam properent; & fratres ſanguine ſuo libertatem ultro quæſituros, ſperni? Quod ſi horum armis & manibus uti placeat, intellectum iri, quam vitam Republica viliorem habeant. Plures tamen de ſucceſſu deſperare; quod exercitum ex tyronibus, novo ac domi nato milite, belli imperito conflatum, antiquis hoſtium Legionibus, ubi cum nobilitate experimentum certabat, haud quaquam parem fore, ac ne ora quidem conſpectumque ferre poſſe, exiſtimarent.

II. Hæc tum in vulgus ſparſa, ut quiſque his aut illis favebat, diverſi interpretabântur. Revocati ab exercitu, quibus in Parlamento locus erat. Paucis quorum opera in præſens neceſſaria, Breretono, Cromvvello, Middletono, Pricio, Imperium prorogatum. Major labor, tumultuantes per hyberna copias, in ordinem redi-

redigere. Quod Skippono negotium datum. Qui vetus militiæ, & mulcendi tumentes peritus, anceps facinus, multorum ſpe, metu, præjudiciis agitatum, quanta ſuſcepit prudentia, proſpero ſucceſſu abſolvit. Nam ut Readingam venit, quinque Eſſexii Legiones, & totidem Roberti vexilla, in apertum campum producta ſunt. Tum habito utrimque honore, inter fauſtas militum acclamationes, ſeparatæ Legiones, evocatiſq; Prætorianis ordinum ductoribus, ita ad eos de equo verba fecit: *Huc veni, Commilitones, ut Parlamenti placita & juſſa, quibus parere Deus, conſcientia, Patria jubent, vobis inſinuem. Tres, ut noſtis, exercitus in unum reducendi. Hinc ipſa neceſſitas quoſdam militia ſolvit, nullo perſonarum & meritorum diſcrimine. Perſuaſus ſum, hoc vos æquo animo laturos, ſicut ab honeſtis viris, quales eſtis, expectari debet. Mihi quidem omnia Parlamento ſignificanda ſunt, & ſingulos obteſtor, ne quid, ob privata, turbent. Stipendia quæ reſtant, partim præſenti ære, partim publica regni fide exolventur. Cæteris, qui militiam continuabunt, nec argentum, nec veſtes, nec arma deerunt. Et ego vobiſcum, pro Deo & patria, vitam ac mortem pariter habere conſtitui.* Hæc ultima verba Legionum commotarum fremitus excepit: quæ ſublatis armis, manibus, voce, geſtu, cuncta Parlamenti decreta probare, lætari miles, tandem aliquando in hoſtem pugnandum. Multi ordi-

num ductores, quibus cedendum loco, inter gregarios arma ceperunt; & graviſſimum negotium rara felicitate illis diebus Readingæ ac alibi tranſactum fuit. Nec parum mirabantur quibus licentia obſtinatioque non incognita fuit, tanto conſenſu, & ſine turbis, cuncta perpetrata. Quo facto nova omnes alacritas & ſpes inceſſit. Nam multis negotium deploratum videbatur, quod non deeſſent, qui turbis, magno regni metu, fomenta ſubjicerent. Quadringenti tantum ex Cantio pedites Farnhami rebellarunt, & domo quadam occupata, apud Sevenoakam conſederunt. Hinc Tvvyfordiam ac Colebrookam, late prædis actis, contendere. In quos Londino Bluntius miſſus, graviter cæſos, & in avia fugatos, paulo poſt pacavit. Nec tamen à conſpirationibus Cantium immune, & Doveræ metuebatur, quæ inter duo maria, quaſi ſpectaculo expoſita, firmiſſimum totius Angliæ clauſtrum eſt. Ac propterea XXXIX Quæſitores, militari poteſtate, in ea Provincia conſtituti; qui noxios & ſeditionum capita pro merito plecterent. Apud Dorſetios Goringius partem VVallerianorum in ſtativis oppreſſit, tanta Oxonienſium lætitia, ut ignibus ſuccenſis, omnes campanas, magnæ victoriæ argumenta, impellerent. Et ipſam, poſt Plymmouthum, Tauntonam, Grenvilius nova obſidione cinxit; quæ haud impar hoſti præſidio

dio duûm millium firmata. Cæterum niſi mature portarentur auxilia, gravior indies atque aſperior oppugnatio, & major ab inopia metus. Cumque una obſeſſis in VVallero ſpes; ille miſſis Saliſburia literis Parlamento ſignificavit: *ſibi abſque peditatu integrum non eſſe longius in occidentem progredi, metuendumque cum validis copiis à tergo Rupertum.* Qui contra Maſſejum Lidburin contendens, eo ab obſidione ædis VVinterianæ, poſt acrem pugnam, Gloceſtriam fugato, magnos in Monmouthia & vicinis Provinciis, delectus agebat. Vigorniam quoq; ob ambiguos popularium animos, novis operibus munire viſum. Vtque eo melius continerentur, juramentum Mauritius Princeps in hæc verba exegit: *Regis cauſam, quem nec Papa, nec Parlamentum deponere queant, contra Nationale fedus, & Fairfaxium, VVallerum, Maſſejum, alioſque rebelles, ſummis defenſuros viribus.* Dehortari contra, ſub gravibus pœnis, Vigornienſes delegati. *Nam quæ tandem illa audacia ſit, Principem Mauritium, in conſcientias, vitam, libertatem Anglorum, pluſquam Regiam poteſtatem ſibi arrogare? Nam nec abſque Parlamenti authoritate juramentum à quoquam exigi poſſe. Adeo nullam hujus, quod extortum, & contra leges imperatum ſit, rationem habendam.*

III. Iam omnia futuræ expeditionis cura fervebant, quam ingentem fore utrimque, ſed

magis apud Regios jactatum. Rex diem ſtatuit Kal. Junias, antequam ſine fraude liceret ab armis diſcedere, præter rerum capitalium damnatis. Poſt id tempus non fore poteſtatem. Graviſſimum edictum, ut in rebelles, denuo propoſitum, Legatis Ordinum Belgarum abitionem parantibus. Et illi quidem de Regis erga pacem, Religionem, libertatem affectu, magnifice multa pollicebantur, culpa belli haud ambigue in Parlamentum conjecta. Ac ut in pleno Ordinum conſeſſu, magnis excepti honoribus, audientiam impetrarunt, unus eorum: *Quæ duæ*, inquit, *noſtris Dominis, ad Legationem hanc extra ordinem mittendam, cauſæ fuerunt, officium ipſorum & veſtra ſalus, earum prima nonniſi ex ſenſu diſtractionum publicarum profecta: altera penes vos tota eſt, accipere eam malitis an repudiare. De utroque apud Regem & apud vos ſæpe multumque egimus. Et Rex quidem in tantum Ordines æſtimat, ut medios nos partium eſſe velit. A vobis inde uſque ab initio nihil impetrari potuit, nec ſpes eſt melioris impoſterum ſucceſſus. Dedit & diſcedendi facultatem Rex, quem plenum pacis & concordiæ reliquimus. Nihil ei optatius, quam ſi controverſiæ juſtis & legitimis conditionibus finiantur. Quod Religionem Proteſtantem ſpectat, pleniſſime ea quam nuper obtulimus Nationalis Synodi convocatione nobis ſatisfecit. Quod Regia jura & prærogativas, libertatem ac privilegia regni ſpectat, non eſt dubitandum,*

ubi

ubi ſatisfactum ipſi fuerit, omnibus quoque ac ſingulis libenter ſatisfacturum. Diutius niſi accepta interpoſitione noſtra, morari non licet. Sine qua, ut inutiles à Dominis noſtris in Bataviam revocati ſumus; & jam nunc conſtantibus pro pace & ſalute veſtra votis, huic Ampliſſimo conventui valedicimus. Ita precati regno quondam florentiſſimo fauſta quæque, in Bataviam ſuam ſe receperunt; ita fidem eorum appellantibus Anglis, ut pene criminarentur. *Quid enim ſibi illa vox velit:* Non admiſſam Belgarum operam? *Si intercedere partibus, ſi utrimque medii, vota & pares curas paci admoveant, quis abnuat? Sed ut de bello & controverſiis ipſi ſtatuant, ut jus & injuriam diſcernant, jubentibus quam conſulentibus propiores, neque Regem permiſſurum, neque ſuæ dignitatis eſſe. Synodum & exteros Theologos jactari. Cur autem, qui vix inter has orbis turbas coire queant, & quibus haud ſatis omnia perſpecta, indigenis præferantur? Sane non ex aliquot Provinciis evocatos. Quicquid pium & eruditum ingens Britannia habeat, vulneri curando adhiberi, quod Epiſcoporum faſtus, ſuperſtitio, neglectus, ſacris inflixerit. At non ſic olim pro Belgis, cum eorum non minus turbidæ res & ambiguæ eſſent, Anglos interceſſiſſe. Meminiſſent ſanguinis, quo libertatem partam, nec ipſi diffiteantur.* Atque hæc in vulgus; & crevit indignatio, cum orationem, quæ Gallice recitata fuerat, Anglica tantum lingua publicaſſent, teſtante Parlamento: *Non in ea*

Ordinum rem verti, nec de mediatione quæ ab uno admitti regno non potuerit, ab altero ne quidem deſiderata ſit, ſparſis libellis agendum. Sed Legatos ſtatim ſub initia, Regiorum cauſam, haud occulto Parlamenti faſtidio, ſuſcepiſſe. Igitur primo Oxonium itum. Hinc reduces libellum exhibuiſſe, titulo, ad placita Oxonienſium, vitiato. Nam Parlamentum, nulla Angliæ mentione facta, nominatum. Idque non ignorantia, ſed conſulto & Regiis ſuggerentibus. Poſt longam moram, tandem ut cum Parlamento Angliæ agi cœptum, exhibitis Ordinum literis; & Mediatorum officia oblata. Nihil ſibi gratius, quam Ordinum Belgarum amicitiam & pro pace ſtudium. Sed Legatis, quoniam nec ad Scotos, quorum una fęderis, belli paciſque cauſa, miſſi ſint, & aperte Regias partes egerint, eam rem committi non potuiſſe. Cur enim, ſi medii, tanto præjudicio, juſtum Parlamento titulum negarint, quaſi dubitantes an illud verum ac unicum Angliæ Parlamentum eſſet; cum tamen Ordinum literæ, Parlamento regni Angliæ inſcribantur? Et quod indignius, ſecreta cuidam Dilloni Papiſtæ, rebellionis Hibernicæ manifeſto, commiſſa. Nec ignotum quid Ordinibus perſcripſerint. In Vxbridgenſi conventu quod non mediatorum, ſed Iudicis fuerit, pro Rege, manifeſta utriuſque regni, neutro audito, Scotis ne quidem compellatis, cenſura, ſententiam tuliſſe. Denique criminationes graves; & in populum ſparſas, quibus Parlamentum ſpretæ pacis inſimuletur, ac potuiſſe conditionibus

tionibus

tionibus bellum poni, ſi tam ſatisfactum pro injuriis Regi fuiſſet, quam ipſe æqua omnia & tuta obtulerit. Miſſa quoque ad Ordines Belgii Declaratio, qua Legationis hujus acta omnia, commemorantur. *Nam nullam in orbe poteſtatem eſſe, cui libentius mediatoris, in hac cauſa munus, tributum velint. Sed ita ſe Legatos geſſiſſe Regiis addictos, ut id fruſtra fuerit. Pacem quin ſerio expetant, neminem dubitare poſſe, cui civilium bellorum mala cognita ſint. Cæterum aliam ejus ſpem hoſtes non reliquiſſe; quam ſi Papiſtis, Hibernis, & malignis hominibus, omnia indulgeantur. Illos Religionis & Legum conſervatores fore, eodem ſi bello vel pace prævaleant, atque in Hibernia, cruento Proteſtantibus exitu. Nec de juſtiſſimis belli cauſis dubitandum. Orbi enim cognita Papiſtarum & malignorum conſilia, quibus Religionem, Leges, libertatemque Anglorum, jam à multis retro annis, evertere conati fuerint. Hinc priora Parlamenta plerumque abrupta, ne illis molitionibus obviam irent. Hinc Scotis bellum illatum. Quo repreſſo, exercitus ſollicitatos, Proteſtantium nomen in Hibernia exciſum. Hinc territo immiſſis percuſſoribus communi, Hibernis, Papiſtis, Prælatis ad commilitium vocatis, palam arma ſumta. Has belli, ac poſtea fœderis, inter tria regna, cauſas. Amicitiam priſcam cum Belgis, non conſervaturos tantum, ſed & omnibus modis, quantum humanitus fieri queat, propter arcta Religionis & ſtatus vincula, libenter aucturos. Nam*

& ſucceſſus mirabiles argumento eſſe, quam grata Deo utriuſque gentis unio ac concordia ſit; cum mutuis ſemper contra eundem hoſtem auxiliis vel Belgæ Anglorum opem ſenſerint, vel hi illorum fortitudine defenſi fuerint.

IV. Jam in ſecundum menſem obſidio Tauntonam fatigabat, cum Grenvilius, plurimo circa munitiones labore expleto, tertium magna clade ab obſeſſis rejectus, Ruperti quoque Equitatum ex Danico ſaltu evocat. Qui Briſtoliæ, tumultu, propter cædem cujuſdam ſubtribuni ab Hiberno factam, ſedato, numeroſum inter Roſſiam & Lemſtriam exercitum habebat, refectis qua Glocestrii Vigornios reſpiciunt, Sabrinæ pontibus. Quærenti: *cur Hibernos vita venia, more militari, excluderent?* reſponſum *In cauſa rebellionem eſſe*, & *Proteſtantes immaniter trucidatos*. Sex omnino millena oppidum premebant, creſcente indies ex vicinis delectibus numero, quem etiam Goringiani Frooma Tauntonam à VVallero pulſi, auxerant. Intus, qui & Limam defenderat, cum præſidio ad extrema obſtinato, Blackius. Et erat in Fairfaxio ſpes. Ad quem VVindſoram, ubi exercitui ad conveniendum dies edicta fuerat, VVallerus & Cromvvellus, uterque Saliſburia profecti ſunt. Octo millia Equitum peditumque expeditioni huic deſtinata, & miles, ut in novo Imperio, ad cuncta belli munia, acrem ſe promtumq; oſtendere.

dere. Nec victoriæ momentum tam in numero & viribus, quam celeritate conſiſtebat. Quippe jam & ædem Pophamiam, VVellingtoni prope Tauntonam, regius tenebat, cæſis ex præſidio quinquaginta, centum quadraginta captis. Inſuper Septentrionis res fluctuantes, Breretonus Beeſtoni, Ceſtriæ, Hovardenæ obſidionibus incubans, capto cum præſidiariis Gozano, Dia ponte ſtrato, junctis Ruperti & Mauritii viribus impar erat. Qui in VValliæ confiniis, occaſionum haud ſegnes, cuncta rerum gerendarum momenta ſpeculabantur. Itaque ſua confirmare, Breretono graves eſſe, gnari diſtractis per tot obſidia viribus, nihil ab eo momentoſum perpetrari poſſe. Et jam Byrringhamum, natura infeſtandis Provinciis commodum locum, muniebant; peractaque res fuiſſet, niſi Bridgius VVarvvicenſium præfectus, fugatis c c c c equitibus, operas diſturbaſſet. Leſlejus quoque cum ſuo equitatu Hallifaxa in Ceſtriam revocatus eſt. Iiſdem diebus in Nottinghamia, adventu Nevvarkiorum, prædas agentium, trepidabatur. Qui vigilum ſtatione oppreſſa, ipſo ponte cum munitionibus ad Trentam potiti ſunt. Quo comperto Hutchinſonius, citatis equis, Londino ad præfecturam contendit; & Leceſtriis ſimul atque Nottinghamiis, in recuperando ponte multum laboris atque moleſtiæ ſubeundum fuit. Eadem

dem Derbiis, à Titburienſium excurſione, pernicies. Contra quos Murrei cujuſdam ædes, quod commodo ſitu eſſent, tumultuario opere munitæ ſunt.

V. Interea Londini procerum aliquot federi acceſſerunt, Leceſtrius, Bedfordius, Clarius, Hollandus, Thanetus, Monmouthius, VVeſtmorlandius, ac poſtea Carleolenſis, Comites: & ex Baronum ordine Padgetus, Convvayus, Richius. Imperium Maris Eſſexio, Northumbrio, VVarvvicenſi, Pembrockio, Sayo, Northio, & aliis ex communi duodecim, commiſſum. Nam dum Parlamentum per diverſa terrarum occupatur, piratæ, obtentu belli, maria quaſi tempeſtate præcluſerant, poſcente in eos aliquot navium ſupplementa VVarvvicenſi, ne impedita navigatione, & ſublatis commerciis, Reſpublica graviter affligeretur. Sacra, ne à rudibus & indoctis, licentioſe ac cum periculo tractarentur, cautum, ſaluberrima impoſterum, ſi rite obſervata fuiſſet, lege. Lectio quoque tabularum federis, ſolemnibus jejunii & precum diebus, commendata fuit.

VI. At in Scotia bellum anceps. Montroſius Dundeam oppugnans, repentino Hurrei adventu, non levem cladem accepit, circiter Iↄ, & poſtea prope Edyellam ⅼxxx amiſſis. Etiam illi Scotorum ſylveſtrium cIↄ Iↄ, quos Gordonus adduxerat, in fugam conjecti.

Cæteris

Cæteris montes & Atholiæ ſaltuoſa pro receptu fuerunt. Atque hæc vel fama in majus extulit, vel inter medias clades Montroſius ſubito emerſit, & è contemto metuendum ſe effecit. Quippe cognitum, res ejus circa hoc tempus, adhuc validas fuiſſe. Quantum ſpei auxiliorum ex Scotia Anglis; tantum ipſi fiduciæ fuit, regias partes ingenti peditatu confirmandi. Ut haud adeo mirum ſit, Regem magna animo concepiſſe, cui tantum militum Scotia, tantum Hibernia, tantum Gallia oſtentabat. Quanquam hi indies altius ſuſpecti. Cumque Jerminus incautius quędam evulgaſſet, acerrime eum Rex increpuit. *Non enim quicquid proſpere ceſſiſſet, apud Francos jactandum, juxta periculoſo, nihil prodeſſe auxilia ſua ah nimium exiſtiment. Nam & hoc metuendum, ne hoſtes inferiores foveant, & bellum in ancipiti ſuſtentent.* In Hibernia quidem, ſpectantibus ad finem induciis, rebelles nonnulla præſidia, Barrieſcourtiam & alia interceperunt: Proteſtantibus contra apud Connacios, Lagenios, Momonios, amplas prædas agentibus; ipſum caſtellum recipiente Kingſmelio, cum incenſis late pagis, iteratam cladem ingeſſiſſet. Dum rebelles alia parte domum Guil. Fentoni XII millia paſſuum Mallovia, poſt bidui obſidium expugnant, Caſtlehavius cum IↃC equitum & peditum aliquot manipulis, flumine ſuperato, in Momoniæ Præſidem Broſhallum

hallum contendit; & ab eo non leve damnum accepit, capto inter alios Joh. Coudono, qui Coolenſes, omnis ſexus & ætatis, vitæ gratiam pactos, perfide trucidaverat.

VII. His velut belli præludiis extracta hieme, tandem ſub initium Maji integris exercitibus fortuna tentata fuit. In quem finem Rex Rupertum Principem ex Cambria evocavit, ut junctus Oxonienſibus, impedimenta & omnem caſtrenſem apparatum inde produceret. Quo comperto, juſſus Fairfaxius firmam equitum manum opponere; delectuſque Dux illius agminis Cromvvellus. Is quanta potuit celeritate VVindſora cum parte copiarum profectus, in hoſtem apud Iſlipam incidit. Ibi pugna commiſſa, funduntur regii. Multis cæſis, Iↄ equi, CC milites, quos inter haud pauci ordinum ductores, una cum reginæ vexillo, in manus venere. Cæteri Blechingtonam, evaſerunt. Nec levis illa clades fuit; quod ex quatuor legionibus, Reginæ, VVilmoti, Northamptonii, Palmeri, ſtrenuiſſimus quiſque evocatus erat. Cromvvellus, ne hoſtis reſpirandi facultatem haberet, Blechingtonam obſidet; deditionem minacibus literis imperat. Eaque mox inſecuta eſt, tanta Regis indignatione, ut præfectum militaris flagitii reum, capite plecti inexorabilis juberet. Is VVindebancus fuit, validus in aula & ſuis meritis, & ob patrem, qui ſecreta

creta regia, tunc in Galliis exul, à multis annis tractarat. Et quamvis varia in excuſationem ejus dicerentur, quod nullis in propinquo auxiliis, deſperaret arcem contra vim & impetum defendi poſſe: prævaluit crimen, metu & molletie deditionem factam. Ita poſt paucos dies militari more plumbo trajectus eſt. Arx, miſſis Aliſburiam ſpoliis, deſerta eſt, quod nec præſidio teneri poſſet, ob peditum abſentiam, & parum utilis eſſet. Hæc prima novi exercitus victoria, quam mox aliæ exceperunt. Quippe Rex ſub Guilielmo Vaughano CCCL pedites Radcotbridgam miſerat. Quod cum per exploratores relatum Cromvvello fuiſſet, flexo VVitneiam itinere, in ſaltu Bramptonenſi fugientes ita concluſit, ut cum Vaughane & Littletono, ducenti milites in poteſtatem venirent. Vix aliquot elapſis horis, Fiennesius quoque alios. XL equites, in quos inciderat, cum tribus vexillis attraxit. Ut diverſis locis, eodem tempore, amplius CIↃCCC captivi Abbingtoniom ducerentur. His proſpere geſtis, ipſam tentare Farringdonam placuit, quod locus ille vicinas late provincias infeſtaret. Miſſi in eum finem Abbingtona à Brovvnio IↃC pedites, per quos oppugnatio cœpit. Quatuordecim amiſſis, infecta re diſceſſum fuit. Interea exercitu VVindſoræ conflato, ambiguis certatum conſiliis, in quam partem movendum eſſet.

eſſet. Nam & Occidens, Tauntona jam ad extremam neceſſitatem deducta, periclitabatur: & in propinquo Oxonium urgebat, urbs hoſtium princeps, qua capta vel obſeſſa, cunctis in ea quę ad expeditionem neceſſaria, bellum compendio abſolvi poſſet. Prævaluit Tauntonenſium miſeratio; quod ſocios tanta conſtantia & fortitudine cognitos, ac totum Occidentem in uno oppido amittere, magna jactura videretur.

VIII. Igitur decreta expeditio, & Fairfaxius Kal. Maji, VVindſora Readingam, inde in Occidentem, magnis itineribus, per Dorſetiam & Limam, circuitu, quod ea campeſtris via & tutior eſſet, locis apertis exercitum duxit. Ubi Andoveram ventum, luſtratis copiis univerſis, qui contra leges militares peccarant, in terrorem aliorum, puniti ſunt; & prædas agere, ſub capitis ſupplicio, interdictum eſt. Interea Goringius à Rege Oxonium vocatus, Hungerfordiam & Marlboroughum attigerat, Cromvvelli ſtativa Farringdoniæ ea nocte invaſurus. Quod cum ex captivis cognitum fuiſſet, Cromvvellus Nuberia, ubi Imperatorem convenerat, propere ad ſuos receſſit, & inſtructis alis hoſtem expectavit. Qui recepta Radcotbridga, ad alteram fluminis ripam, tutus loco, verſabatur. Cumque certi nihil exploratores referrent, miſſus trans flumen cum I ɔ equitibus VValejus, primam turmam Bethelio ducen-

ducente. Is nocte illa in medios hoſtes illapſus cum diu fortiter pugnaſſet, paucis amiſſis, capitur: cæteri ad ſocios evaſere. Quo patrato, Goringius copias ſuas uſque Latchladam, in adverſa ripa, diſtribuit, & mox, cum Cromvvellus flumen apud Nevvbridgam ſuperaret, ſive prælii metuens, ſive Fairfaxio apud Tauntonam ſeſe objecturus, copias propere in occidentem reduxit. Jamque ſeptimis caſtris Fairfaxius Blandfordiam attigerat cum eum nuncii aſſequuntur, Regem Oxonio cum exercitu moviſſe, & Provincias Orientales trepidare.

IX. Quippe Rex, Ruperti & Mauritii copiis ad ſe receptis, & invalido contra eam vim Cromvvello Orienti imminebat, conſpiratione quorundam fiſus, qui Eliam, munitiſſimum ejus tractus clauſtrum, tradere nitebantur. Nec partes in Hundingtonia, Cantabrigia & Norfolcia deerant, quibus excitatis, formidoloſum bellum naſcebatur, armis Parlamenti in Occidente peregrinantibus. Ac animum, ſpe expeditionis jam occupatum multa intendebant: Farringdonæ ſoluta obſidio; res in Cambria proſperæ; Occidentis exercitus Fairfaxio par. Tum Montroſii ambitioſa conſilia, tutum à Scotis Septentrionem, & XX CIↃ peditum jactantis, ſi vel modico equitatu juvaretur. Inter hæc publice læta, non deerant occultiores & domeſticæ curæ. Princeps Carolus Iohan-

 nem

nem Grenvilium cubiculi ſui honoribus dignabatur, haud dubie contra matris voluntatem, id munus alii deſtinantis. Nec Regi, quo clam hæc acta, facile expeditu, quid concederet, vel negaret, inter ambigua promiſſa fluctuanti. Nam patrem Grenvilium, validis apud Cornubios propinquitatibus, & ſtudio popularium accinctum, hac filii repulſa non niſi cum periculo offendi poſſe; & metuendum ne gentiles nationes turbet. Itaque aſſenſu in ſpeciem dilato, Reginam hortatur: *ne, quod factum abnuat: ſed & filio, quantum peccarit, inſinuandum.* Quod cum effluxiſſet, populus, ut ſolet, Reginam criminari quaſi nimiam ſibi in Regem poteſtatem arrogaret, *cui ne quidem circundare Principi miniſteria integrum relinquat. Ab ipſa candidatos aulæ commendari, ſine repulſa aut ambitu deſignandos, pervicacibus magis & impotentibus mulierum juſſis.* Pro Southamptonio, ad evitandas procerum ſimultates, Rupertus Equitum Magiſter conſtitutus eſt, Regina in Hartfordium propenſiore.

X. Sic adunato XII millium exercitu, Rex Oxonio Burfordiam, inde in VVarvviciam contendit, fretus Fairfaxii abſentia, & quod Cromvvello haud ſatis virium eſſet. Qui VVithami ponte flumen ſtravit, ut VVitneiam & Burfordiam ultro citroque meare exercitus poſſet; ac Abbingtoniæ aliquis uſus eſſet. Ita cum millenis octo Regem intentus ſequebatur,

batur, interdiu fere quieſcens; noctu, ut omnia majori ſilentio peragerentur, inſtitutum iter promovens. Revocatus quoque Fairfaxius jam Blandfordiam uſque progreſſus, ut Regi ex propinquo immineret, & Orientem, ſicubi opus, tutaretur. Nam innotuerat quo in periculo fuiſſet Elia, urbs totius Angliæ natura paluſtris loci munitiſſima. Ad quam occupandam, Regem lintres, curribus junctis, ſecum duxiſſe, haud ex vano exiſtimatum: quod campos illos crebri Nili Euripique variis mæandris ac flexibus pererrant. Et latent cæci paſſim hiatus, levi ſolo foras obducti, intus aquis reſtagnantibus fallaces, humilemque ac paluſtrem inſulam in faciem ſtagni opplent. Fairfaxius, diviſo exercitu, cum majore ejus parte in Orientem reverſus eſt. Septem millia equitum peditumque VVeldeno commiſſa ſunt, quibus Tauntonam liberaret, & Maſſeio junctus, Occidentem tutaretur. Atque ut hoſtes in ambiguo eſſent, ſimulata totius exercitus in Occidentem profectio, donec Dorceſtriæ ſeparati, Fairfaxius quidem Oxonium, Tauntonam VVeldenus petivit. Quod non minima ſolutæ obſidionis cauſa fuit. Quippe regii exiſtimabant ipſum adventare Fairfaxium cum omnibus copiis. Id quod ex interceptis literis cognitum fuit. Igitur VVeldenus cum non amplius decem millia paſſuum urbe

abeſſet totidem in colle quodam tormentis diſploſis ſignificat, auxilia in promptu eſſe. Hanc fortunam hoſtis calliditas fere eluſiſſet. Quippe paulo ante, ſimulata in aperto campo, ſpectantibus oppidanis, pugna, cæſos Fairfaxianos creditum fuerat. Quibus ſi obſeſſi eruptione ſuccurrerent, poſitæ idoneis locis inſidiæ, quæ viam ad urbem intercluderent. Hanc fraudem conſtantia eluſit. Obſeſſi ſuis ſe continentes munitionibus, ſpectare ludicrum certamen, quam experiri maluerunt. Igitur ad oppugnationem, immiſſis ignibus, reverſum fuit. Et quanquam intus urgeret incendium vehemens, miles domos in cineres ſubſidere maluit, quam locum & arma amittere. Multi tum ceciderunt, foſſæque cadaveribus repletæ, cum utrimque deſperata audacia pugnaretur. Donec intellecto Fairfaxianos imminere, præmiſſis impedimentis, regii, nulla pugnæ copia facta, non abſque fugæ indicio, armis magno numero abjectis, cum vias quoque, cæſis arboribus impedirent, quod ſignum perculſorum fuit, Bridgvvateram ac Exonium dilapſi ſunt. Ea die VVeldeniani Pitminſteram, duobus millibus ab urbe, proceſſerunt. Altera in urbem ventum; quæ triſti facie, incendio deformata, altius adhuc de inopia omnium rerum conquerebatur. Ita miles victor, ne oneri Provincialibus eſſet, Chardam reductus eſt, ipſaque

que urbs commeatu ac armis denuo inſtructa. Quæ dum fiunt, Maſſejus capto apud Mangerſfieldam Slingſbio Carolinæ Briſtolienſis præfecto, circa Stroudum, levi pugna ſuperior evaſit, Thoma Hoopero tribuno, & aliis potitus. Contra Rex in Cambria victor, ubi in Pembrocia & prope Milfordiam, Gerhardus quinque millia ſub ſignis habens, infirmiores Laughornii copias facile oppreſſit, cæſis & captis cccc & ipſa Pembrocia obſeſſa. Sic de Cambria poſt hanc fatalem cladem fere deſperatum eſt. Cholmleius quoq; Scarborougha eruptione feliciter pugnavit, cum ſe prius epulis tanquam inferiis oppleviſſet miles. Meldrumus Buſheliana munitione, jactu lapidum de caſtello, iterum, nec abſque aliqua ſuorum clade, ejectus fuit. Nihilominus ex edito colle, tormentorum verberationibus tres ad auſtrum turres dejectæ ſunt, cum quidem Michaël VVhartonus, nobilis prædives, Cholmleio proximus, ictu globi examinis concidiſſet. Ipſe Meldrumus, tot bellorum ſuperſtes, letali vulnere accepto, oſtendit magnorum Ducum fata, ſæpius exiguis quam ingentibus prælíis ſe aperire. Sepultus eſt Kingſtoni ad Hullum. Cæteri omiſſa oppugnatione rurſus per otium aſſidere; & quanquam obſeſſos aquæ inopia premeret, tamen deditio in longum protracta fuit. Alibi inter Campianum Boſtoliæ præfectum, & Jer-

tonum Centurionem Legionis Roberti Piei, Purcfoyum ac Cambdenos, exigua utrimque vel jactura vel emolumento, leves velitationes, nec quicquam notabile in ſingulis. Pariter Nevvarkiorum aliquot, circa Muſconiam, ab Eboracenſi equitatu captos, in levi poneretur, niſi tum munitionem pontis Nottinghamii iterum deſeruiſſent. Northamptonii quoque & Nevvportpagnelii Cromvvello ſe juncturi, Boſtolios congredi auſos, proſpero prælio cohibuerunt. In hoc dubio rerum ſtatu, Scoti anxiis votis ex Septentrione poſcebantur; & quanquam conſtans rumor ferret, eos in auſtrum contendere; intra Eboracum tamen hæſerunt. Nihil jam in Northumbria turbidum, ſedatoque per Cumbriam & VVeſtmorlandiam populari tumultu, Carleolas acerrima obſidio premebat, cui tum & poſtea, aliquandiu par obſtinatione ſua contra famem, Glemhamus fuit.

XI. Fairfaxius interea magnis itineribus ex Occidente Nuberiam exercitum reduxerat, ſuo ipſe exemplo, pedes, immixtus legionariis, feſſum continuata profectione militem, ad alacritatem & conſtantiam excitans. Nuberiæ cognitum, de Oxonio obſidendo conſilia à Patribus capta. In quem finem Cromvvellus & Brovvnius, omiſſo Rege, quod pares illi non eſſent, copias jungere juſſi ſunt, Vermudenius cum bis mille quingentis equitibus, ad Scotos

in

in Septentrionem, ſi forte Rex eo ſe converteret, proficiſci juſſus eſt. Ita dum Goringius & Hoptonus, ſex millium copias trahentes, iterum Tauntonam, pulſis in eam Pedertona VVeldeno & Graveſio, obſident, Fairfaxius exercitum ipſi Oxonio admovit. Nam illam urbem, non ſecus atque oculis innatum ulcus, viſum plurimis fuit expugnandam eſſe, quod in meditullio regni ſita, Londinenſibus & fœderatis undique immineret. Ac magnificum videbatur, *ipſam Regiam & adverſæ partis caput, aggredi. Nec facultatem rei bene gerendæ negatam: quandoquidem Rex copias ſuas aliorſum, & per ambages circumducat; quem inſequi vanum ac ſine fructu ſit.* Contra alii: *obſidionem multis modis inopportunam & noxiam eſſe. Cur enim pro una urbe totum regnum manifeſto periculo exponatur? Regemne, tantam ad res præclare gerendas, nullis in propinquo copiis, occaſionem omiſſurum, quin Provincias Orientales, hactenus bello intactas, invadat? Quibus amiſſis, quid tandem tota Britannia, præter unicam urbem, validi ſuperſit?* Hæc quanquam vera, non niſi poſt acceptum damnum probabantur. Fairfaxius, ut imperatum, diſtributis circa urbem copiis, obſidionis inſtar conabatur. Tamis ponte ſtratus, tormenta, & quicquid oppugnationi utile, ex vicinis præſidiis conquiſitum. Sed ſpes ſucceſſus deerat: nec ipſa urbs, miſſo caduceatore, deditionem facere

juſſa eſt, ut exercitus, ſine jactura militaris gloriæ, abduci inde poſſet, ſi ita caſus & neceſſitas, non improviſa Duci, poſtularent. Dum urbi appropinquat miles, Flemingus cum parte equitum in regios incidit, & CC pedites in caſtra captivos traxit. Nec leviter in urbe trepidatum, deſertaque Godſtova præſidium vicinum, quod contra vim defendi non poſſet. Ac tum collectis undique viribus, obſidio promptis eorum votis ſuſcepta fuit, qui uni bello incumbendum, nec ad omnes hoſtium motus, ſummam rerum circumagendam cenſebant. Capta primo impetu Gaunthouſa, præſidium octo mille paſſus ab urbe; & inter Abbingdonenſes ac VVallingfordios acrius velitatum. In urbe firmum Rex præſidium ſub Leggio reliquerat, haud ignarus, quorſum adverſæ partis conſilia ſpectarent. Nec ipſe ad famam gliſcentis obſidionis, cum exercitu, quem parem Fairfaxianis habebat, accurrit: ſed per Vigorniam vagus, Havvkleihouſa Staffordiæ obiter, Gougio eam dedente, capta, validos invalidoſque pari metu complere. Eratque etiam eo timendus, quod cum ad lævam Occidentem, ad dextram Orientem, in fronte Septentrionem haberet, tanquam in omnes venturus, ab omnibus timebatur, & latior ex incerto metus. Sive in Derbiam, Leceſtriam, Nottinghamiam, Lincolniam, ſive dites Eaſt Anglorum

glorum regiones moturo, inermes Provinciæ in pretium belli ceſſuræ erant. Igitur receptis ad ſe ex Cambria Gerardi copiis, mox in Septentrionem, cum millenis equitum peditumque duodecim, contendit, non lento itinere, ne cunctari videretur; neque tamen properans, gliſcere famam ipſo ſpatio ſinebat. Sic omnium animos trepidatio occupavit, quorſum ea moles ſe converſura eſſet. Nam Eboracenſes ac Lancaſtrii, & Provinciæ ad Orientem, cum mediterraneis omnibus, periclitari: quod nec Scoti illis defendendis adhuc comparerent: & his ad reſiſtendum ſatis mature paratum nihil eſſet.

XII. Rex ſpem conceptam acrius indies rapiens, trepidis circa oppidis & ſuſpenſis, in quam videlicet partem ea tempeſtas incumberet, repente turbinis in morem, Leceſtrienſi agro, cladem ac terrorem, urbi militem admovit, gnarus ut initia belli proveniſſent, famam in cætera fore. Jamque & Breretonus Ceſtriæ obſidionem ſolverat, copiis Nantvvichum abductis; & Scoti ſub Levinio per Cumbriam ac VVeſtmorlandiam ſe circumegerunt, ſi forte Rex in Scotiam & ad Montroſium contenderet. Inter quem & Urrejum, quarta copiarum parte inferiorem (nam vix millenos habebat, cum illi quatuor millia eſſent) tam ferociter paulo ante pugnatum fuerat, ut utrimque duo cIɔ & Iɔ occumberent. Hoc eorum factum,

& omnem illam prolatationem, multi ſuſpe-ctare; nec deerant, qui avide criminarentur; *Hactenus in vanum ſollicitatos. Nunc, ubi pericula urgeant, & exercendæ virtutis locus ſit, reduci copias. Cur non in ipſum Regem eatur, ſive Scotiam, ſive Anglorum Provincias petat? Nam viam oſtendi hac tergiverſatione, & cujus impetus mature ſiſtendus, impune ferro flammaque ad Cumbriam uſque, omnia vaſtaturum.* Atque hæc paulo ferocius, quam ut inter federatos, jactabantur, clam ſuſpiciones alentibus regiis, per ambiguos ſermones, quæque alia turbamenta vulgi, cum non deeſſent conſueta ab externis auxiliis, quæ raro proſpere petentibus cedunt, argumenta. Sed & ipſi conquerebantur de Eboracenſium obſtinatione & odiis, quod hactenus impetrare non potuerint plauſtra, aliaque impedimentis promovendis neceſſaria.

XIII. Leceſtria fertiliſſimi ſoli & dives opum Provincia, inter Northamptonios & Nottinghamios ſita, Lincolniam ab Oriente reſpicit. Eam Parlamenti fidiſſimam Rex ingreſſus, cum terrorem late circumtuliſſet, mox trepidæ civitatis oculos fumo ac pulvere implevit, quod magnum uſum haberet potiri oppido pleno & opulento, ſimul reliquis civitatibus inferri metum poſſe, antequam auxilia concurrant. Ea gentis ſuæ caput, ſitu non valido minus, quam amœno, & in qua optimus quiſque, metu graſ-

ſantis

ſantis verſabatur, neglectim munita, leve ſub Roberto Pico præſidium habebat, dimiſſo inſuper à ſecuris, cum parte equitum, Iacobo Enniſio. Atq; is jam Nottinghamiam, Scotis ſe juncturus, properabat; cum trepidi nuncii eum aſſequuntur, & auctis haud in vanum periculis, quanquam ambiguum, revocant. Altera die, confirmata ſuo adventu civitate non mediocriter, Regios fortiſſime ſuſtinuit, ne appropinquare, ſuggeſtus tormentorum ſtruere poſſent. Ultimo Maji univerſus peditatus in conſpectum venit; & feſtinato acceſſu, muralibus tormentis urbs concuſſa. Miſſuſque à Ruperto tubicen, cum ſibi feſtinum reſponſum dari imperioſe juberet, infecta re diſceſſit, quod tam ſubito inter oppidanos convenire non poſſet. Unde acrior ex caſtris muralibus tormentis impetus, disjecta parte murorum, à regiis factus eſt; & civitatis excidium poſcunt. Prima noctis vigilia, omnibus ſimul tormentis exploſis, quod militi peremptoriæ oppugnationis ſignum fuit, undiq; adſultatum eſt muris, tanta pertinacia, ut in ipſam urbem per hiantes ruinas irrumperent. Illi haud timide reſiſtunt; maxima certatur vi. Regii partim novis obſeſſorum operibus retardati, partim ab Enniſii equitatu, mira fortitudine, & animis ſupra vires, quinquies in ruinas mœnium expulſi, ultra ſuorum trecentos, ex quibus aliqui ordinum ductores, in eo ardore amiſe-

amiſerunt. Acriter utrimque pugnatum eſt; regiis exiſtimantibus, ſi paululum annitantur, captam urbem; Leceſtris pro nudata mœnibus patria, corpora opponentibus. Omnium confeſſione Scoti ſub Enniſio pluſquam viros ſe præſtitere, ſicut in oppugnatione Hibernos audaciſſimos fuiſſe conſtat. Laudatur Germani cujuſdam equitis, digna quæ poſteritati commendetur, conſtantia. Is interfecto à Regiis tormentorum magiſtro, ſua ſponte equo deſiliens, in locum & munus ſucceſſit, nec ſtationem, niſi cum anima, telo confoſſus, deſeruit. Interea hoſtes ab altera parte, ſuperatis mœnibus, urbe potiuntur, capto Rob. Pyeo, qui ferociſſime dimicabat. Oppidani, poſt egregia virtutis experimenta, furori hoſtium impares, qui undique irrumpebant, jamque foro potiebantur, deditionem violentæ expugnationi ſimillimam faciunt. Et ibi modus proſperis ad id rebus poſitus. Nihil impoſterum feliciter ceſſit, quamvis regii, Leceſtria capta diſpectarent, quos virium ſuarum terminos haberent, Urbs miſere direpta: præſidiarii cum civibus capti. Quorum nonnulli malam propugnatoribus ſuis gratiam retulerunt, incenſis in eos Regiis, tanquam abſque ipſis fuiſſet, maturiori & ſpontanea deditione, urbs licentiæ militum eripi potuiſſet. Conſtat ex Regiis ad cccc, ex oppidanis ccc occubuiſſe. Quod incerto adhuc

adhuc eventu, Angliam horribili fama implevit, & calumniatus eſt aliquandiu vagus rumor: *Vrbem primo impetu captam, quicquid ab immiti & crudeli milite ſperari queat, pertuliſſe. Cæſos ſine diſcrimine omnes, cum inermibus armatos. Non liberos, non parentes adulta ætate, non gemitus virorum, luctus mulierum, immanem animum inflexiſſe.* Et hæc more famæ, credentium otio augebantur, facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova, cum triſtia ſunt: ac ut in magnis mendaciis, interfuiſſe ſe quidam, & vidiſſe affirmabant. Quod ſicut Regiis temere creditum, invidiam auxit: ita etiam cum certius omnia innotuiſſent, nihil in afflictiſſimam civitatem miſerationi deceſſit. Quanquam damnum aliquomodo compenſaret Eveſhamia Vigorniæ, mœnibus ſituque tuta, à Maſſeio, VVarvvicenſium ope, tum intercepta. Quod ſi Rex ſtatim in Eaſt Angliam ſe cum victore exercitu præcipitaſſet, haud dubie ingens Parlamento neceſſitas injecta fuiſſet, nondum firmatis præſidis, ac dubia multorum, maxime per Norfolciam, fide. Nam hoc omnes fatebantur, debellari tum Angliam in illis, quæ ſolæ reſtabant partibus, potuiſſe. Cæterum id quod plerumque magnis Imperatoribus ſolet, poſt proſpera, etiam Regi accidit, ut victoria uti neſciret, & cum vel trahendum eſſet bellum, vel illæ partes invadendæ, dato in non neceſſa-
rium

rium diſcrimen exercitu, omnium tribus annis tanto quæſitorum ſanguine, jacturam fecerit, ac de ſumma rerum periclitatus ſit. Atque hæc fuit Leceſtriæ expugnatio, quæ tantam Anglis, cum terrore, indignationem incuſſit. Deſerendam Oxonii obſidionem omnes fremere, ſed imprimis mœſta ac multiplici metu ſuſpenſa civitas, cujus poſtulata fuerunt; *ut decreto exercitu maturrime delectibus aucto, Fairfaxius ingruenti bello tota mole occurreret: Cromvvellus Orienti præeſſet: Levenius Scotos ſuos in auſtrum duceret.*

XIV. Nam Rex opportuno ad bellum porrigendum loco potitus, ſtabilem in hoſtico pedem fixiſſe, & proxima quæque ac remota invaſurus putabatur. Ambigua fama, nunc Septentrionem, & Ceſtria, Scarborougha, Carleolis liberatis, Scotiam peti, & hoc magna Regiorum fiducia, jactatum. Nemo ſcire, & omnes affirmare. Sive quod id conſilii fuerit, ſive ad terrorem, & ut incerto periculo minus proſpici poſſet. Jamque multi per Provincias, temporibus inſidiantes, novis rebus ſtudebant; & Eboraci tumultus à ſeditioſis concitatus, quorum ad ſexaginta capti, Cavvoodum ac Hullam miſſi ſunt, tribus qui authores fuerant, capite, ad exemplum, plexis. Sic cœptans tum maxime conjuratio disjecta. Apud Northumbrios quoque contra Vicecomitem Ioh. Fenvvickum

vvickum detecta conſpiratio. Quæ omnia eo ſpectabant, ut ſi Rex in Septentrionem pergeret, paratæ in armis partes eſſent. Sicut & in Eſſexia, eodem animo, quidam Nevvhallum, haud procul Chelmsfordia muniebant: aliis prima rerum quiete ſpeculantibus; cætera ex eventu judicaturi. Contermini Leceſtriis Derbii, quocunque tandem Rex ſe verteret, periculum ſibi imminere rati, ad defenſionem, intenta cura, ſe præpararunt. Et Ioh. Gellius, ſimultatibus quæ ipſi cum nonnullis interceſſere, poſitis; laudabili exemplo oſtendit; eas patriæ noxias eſſe non debere. Præſidia Coleortono, Burleighouſa, Kirbya, Derbiam & Rockinghamiam traducta. Iamque & Eaſt Angli, Elia, Cantabrigia, Peterburgo, Stamfordia, Hundingtonia, & aliis locis firmatis, copias ſuas quæ XII millium, undique ſub Cromvvello, præſentiſſimi animi Duce, contraxerant; cum ſimul Rex, ſimul Fairfaxius, paulo poſt ingenti prælio certaturos exercitus moverunt. Alter alterum ad pugnam poſcebat, ardentibus utrimque animis. Major his fiducia, & ex ſucceſſu faſtus, an illis propter cladem ſociorum, indignatio fuerit, haud facile dictu. Triginta millia ovium, & octo mille alias pecudes, Regii Leceſtria & vicinis Provinciis, præter aliam gravem prædam, abegerunt. Inſuper equorum aliquot millia ex illis Provinciis abducta

abducta ſunt, partim trahendis tormentis,quorum xxx exercitum ſequebantur, partim augendo equitatui.

XV. Sic Oxonienſis obſidio, tentata potius quam cœpta, poſt leves aliquot velitationes, magno Regis ac Principis, ſed improſpero gaudio, iterum ſoluta eſt. Fairfaxius, quanquam alias deſtinationis certus, ne nova moliretur, niſi prioribus firmatis, tum neceſſitati parens, relicto cum parte copiarum Brovvnio, tota exercitus mole in hoſtem contendit, Boſtolia ex itinere & obiter tentata. Cujus rei memorandæ, dum ad majora pergo, compendium feciſſem, niſi fœminæ, ob virilem militiam, laus ſua deberetur. Hæc præfecti uxor, munia ducis per eos dies induit, & deditionem non maſcule tantum reſpuit; verum etiam aſtu graſſata, quicquid ab oppugnantibus materiæ collatum, inter ſimulata colloquia, ignibus repente immiſſis, cremavit. Facilis de contemnendo loco victoria. Sed majus in tempore momentum, & præverti ad Leceſtrios inſtantior cura fuit. Itaque ſigna convellit, & continuum diu noctuque iter properans, paucis caſtris in hoſtium conſpectum venit, certus non trahere bellum, ſed fortunam experiri. Urgebant utroſque fata ſua. Fairfaxius Regios, Regii Fairfaxium, & decretorios illos campos, adhuc, niſi quantum animus præſagiebat, ignoratos, quærere. *Nihil*

tanto

tantò ſucceſſu, tantis apparatibus actum. Iret miles, & alterum ſive Marſtammora, ſive Leſtethilla, diem adderet.

XVI. Igitur Rex æger mora, ſpe impatiens, Provincia confecta, nondum certus ſolutam Oxonii obſidionem, in auſtrum movet, ut famæ inſerviret, quæ in proſpere cœptis validiſſima eſt. Leceſtriæ Haſtingius Loughboroughius præfectus, qui magnam urbis partem diruit, ut cætera inexpugnabili mole confirmarentur. Secuta eſt lamentabilis Provinciarum direptio, quæ velut fulmen, cuncta, equos, jumenta, homines aduſſit. Ut florentiſſima paulo ante regio nil jam niſi ſolitudinem referret. Ac quamvis initio Septentrionem petere animus regiis eſſet, prævaluit Oxonii periculum. Dumque reducitur exercitus, ſolutam obſidionem innoteſcit. Hinc aucta Regi ſpes, multis ſimul argumentis concurrentibus, quorum pleraque ex vano petita erant. Boſtoniæ CCCC amiſſos, caſtra Ordinum inter tumultus ac diſſenſiones inquieta, & jam mutuo ſanguine polluta, lites Fairfaxii, Brovvnii, Cromvvelli, & Occidentem à Goringio debellatum, quia læta, etiam credebantur. Præter hæc, quæ in ſpeciem, alia Regem confirmabant, ſpes auxiliorum à Gallia & Hibernia. Nam præterquam quod Glamorgius ad Kal. Junii, ſex; Cambri quatuor millena

promitterent, Fitzvvilhelmus Pariſiis Reginæ decem millia Hibernorum obtulit; *ſiquidem Rex ad juſta federatorum Catholicorum poſtulata, ſaltem privatim concedenda, adduci poſſet.* Sed inſuper ſupremum ſibi in militem Imperium poſtulabat, quemadmodum antehac Novocaſtrius & Kingſtonus, ſingulos exercitus duxiſſent. Pacem iis Rex, veniam delictorum, reſtitutionem in integrum, Libertatem Religionis, ultro obtulit. Quæ poſtrema, quoniam internecione Proteſtantium jam conſecuti erant, de prioribus haud multum laborabant.

XVII. Tota in eventum Anglia erecta erat, cum nec ſpes nec metus cuiquam certus, ſed omnia immodica eſſent. Nam de controverſiis, haud dubie, ſi res ad juſtum prælium deveniret, fatalem illum diem judicaturum, opinio erat. Atque ut in ancipiti ſtatu fieri ſolet, ſententiam promtiſſime ferebant, qui minime conſulebantur. Multi per inopportunas querelas, conſiliis aliorum contradicere, nimii verbis, linguæ feroces, & in periculis non auſuri. *Quid enim hactenus tanto apparatu, & tantis viribus actum ſit? Tardis & incerta conſultatione libratis conatibus, nunquam premi hoſtem, & ex diſtantibus terrarum ſpatiis, conſilia fere poſt res afferri. Hinc illam cladium viciſſitudinem, hinc auctas Regi vires. Qui non tam ſuis armis, quam adverſariorum vitiis confidat. Contemtos ſæpius hoſtes, & victoriæ nondum*

dum parta inanem ſpem fuiſſe. Diſtractas ſacris factionibus mentes, & dum omnia ſimul agantur, tot obſidionum ludibriis, tot in varias partes expeditionibus, damna intendi. Vel Leceſtriam exemplo, quanto melius fuerit Oxonium intactum. Parum ſcilicet Provinciales milite & argento exhauſtos, niſi etiam vana expectatione illudantur! Vbi autem omnis illa pecuniæ vis? Vnde tanta ſemper & inſatiabilis inopia? Non impoſita cunctis rebus tributa, non federatorum opes exercitui ſufficere. Adeo quoties vel minimum quid agendum, novis exactionibus opus eſſe. Et hæc palam, ſive à miſerantibus publicas calamitates, ſive ut conſpectiora mala eſſent, hoſtili fraude jactata. Eaque obtrectationis audacia, quanquam publicæ utilitatis ſpecie contecta, plus tamen tumoris, quam ſolidæ pietatis habebat. Auxit invidiam quod haud ambigue nonnulli, clandeſtinæ proditionis & peculatus, eadem licentia, notabantur. *Ab his conſilia eliminari, ut citius quid in Parlamento actum, hoſtes quam amici intelligant. Ab his optimas corrumpi victorias. Denique rationes ærarii horum artibus detentas.* His querelis, utcunque non omnino inanes fuerint, tum nihil opus erat. Non ignoratum multa quotidie peccari. Sed neque privatis ex eventu, & collectis ſuſpicionibus, de ſumma rerum judicandum.

XVIII. Rex Lichfielda & Nevvarka cIↃ IↃ equitum evocatis, per Buckinghamiam ex

Leceſtria profectus, Daventreæ Coventriam verſus caſtra poſuit. Nec longe Fairfaxius aberat. Qui Brickhillæ Vermudenio, cum bis mille quingentis equitum, & paulo póſt cum majoribus Eaſt-Anglorum copiis (tria millia peditum, equites mille erant) Cromvvello ad ſe recepto, hunc ſummis exercitus ſtudiis, equitum Magiſtrum & Legatum creavit. Nec de prælio imminente anceps rumor, & Rex ultro invitabat, campo inter Brakleiam & Buckinghamiam, ac vicinis collibus, ſituque locorum, curioſe perluſtrato. Nec minori cura Fairfaxius cuncta ad prælium comparabat. Miſſi iterato nuncii, qui Gellium, Roſſiterum, Coventrios, Northamptonios, VVarvvicenſes, Nottinghamios, cum omnibus copiis advocarent. Skippono injunctum, ut exercitum in alas & cuneos campeſtres diſpertiret. Ipſe Imperator, nullo jam Orientalium periculo, Stono Straffordiæ & VVottonæ, tertio à Northamptonia lapide, mox Gilſboroughæ caſtra poſuit. Ibi ab exploratoribus relatum, regios non prælium eo loco, ſed abitum moliri. Nam receptis quos Oxonium cum Leceſtrienſi præda miſerat c I ɔ c c equit. & Fairfaxio jam imminente, Rex Pontefractum, & in Septentrionem, ſolvendis obſidionibus, ire deſtinavit. Jamque Burroughilla Harborougham, præmiſſis impedimentis, venerat, cum Fairfaxius eum

ad

ad Nazebin aſſecutus, turbatis ea nocte per Iretonum, valida equitum ala, ſtativis, prælii neceſſitatem fecit. Et jam vota utrobique, Londini & Oxonii, pro ſucceſſu nuncupata. Nunquam ferventiores preces cœlum ſollicitarunt, quam cum Majeſtas, Religio ac Libertas, hactenus utcunque defenſæ, uni & ambiguo prælio, committerentur. Tanquam ultima omnibus dies inſtaret ſic flere, ſic gemere; & victi extremum ſervitutis, denique hi Epiſcopos, illi Presbyteros ac Independentes, horrebant. Nemo erat, qui non de fortuna partium, diem illum decreturum conjiceret; & vincendum illa acie, vel cadendum eſſe. Cætera ſecundum eventum prælii ceſſura; & id pro omine belli fore. Plurimum trepidationis in publico, ut quemque nuncium fama attuliſſet, animo vultuque converſi, ſuo quiſque metu pericula metiri.

XIX. Præter incerta belli Tauntonenſium iterato in maximis anguſtiis res, curas duplicarunt. Quibus tanta paſſis non ſubvenire inhumanum, ſed copiæ nec Fairfaxio detrahi poterant, nec Maſſejus, quanquam Cantii, Surreii, Suſſexii, Hamtonii omnia conferrent, Goringio metuendus. Scriptæ tamen ad obſeſſos literæ, quibus ſpes ſubſidii ingeſta. Et illi animo in mortem obfirmato; non ſe urbem dedituros promittebant, non ſi acrior Saguntina fames urgeat. Fidem donec vita ſuppedi-

tet, ac urbem cum anima retenturos. Dederunt etiam præclara fortitudinis ſuæ argumenta, crebris eruptionibus & una vice Iↄ hoſtium interfecti ſunt, cum obſeſſorum non niſi centum cecidiſſent. Illico Londinenſes, præter favorem in miſeros pronum, etiam atrocitas obſidionis concuſſit, & oſtiatim pecunia, pro maturandis auxiliis, collecta; in quo opere multorum inſignis liberalitas eluxit. Quanquam alii prudentiam requirerent, criminantes quod neceſſitas extorquebat: *Quid enim hoc aliud ſit quam exhauſtum ærarium, quam fractas vires, hoſti, & cum detrimento confiteri?* Nunciatum quoque fuit, Goringianos apud Crookhornam, verſis in ſe armis, non exiguo numero, mutuis vulneribus cecidiſſe.

XX. Trepidantibus ad incerta caſuum, novam ſpem addebat, Scotorum ex Septentrione adventus; quos hactenus mora ſua vulgus haud leviter ſuſpectarat. Qui cognito Regis motu, ut Leceſtriam expugnaſſet, ut in Auſtrum reduxiſſet copias, ex VVeſtmorlandia in Eboracenſem agrum cum exercitu pergunt. Jamque Burrovvbridgam, LXXX cIↄ paſſuum à Leceſtria venerant; & inde Doncaſtrum, cum prioris facti ſui rationem reddidêre: *Non aliam ob cauſam exercitum in VVeſtmorlandiam reduxiſſe, quam quod ibi Regem commodiſſime præſtolari poſſent, ſi forte in Lancaſtriam vel Eboracum moliretur irru-*

irruptionem. Sibi non Angliæ tantum interioris, ſed & limitaneæ ac Stoiiæ, rationem habendam. In qua, cum validæ Montroſii partes ſint, facile apparere, quanto cum damno utriusq; gentis, eam Rex, Scoticis armis alibi, & longe à patria peregrinantibus, invadere queat. Addita hortamenta: *Ne locus vaniſſimis ſuſpicionibus detur, quas maligni homines conſulto, & ad diſſidia promovenda, ſpargant. Non jam levem rem, ſed animam in dubio eſſe, Religionem & libertatem armis controverti, velintne utramque contra vim ſtabilire, an homines crudeles ac impios, qui Regis authoritate in publicam perniciem abutantur, implacabili ſævitia dominari. Commune periculum concordia propulſandum.* Igitur pecunia, aliaque bello neceſſaria ipſis decernuntur: & ut properarent Regiis à tergo inſtare, moniti ſunt. Idque eo impenſius poſtulatum, quod nunciaretur, Montroſium, clade accepta, copias, quæ circiter quatuor millium erant, in totidem cuneos diſpertiſſe, ſive ut facilius fuga elaberetur, ſeu ut latior populatio fieret; Baylio, Urrejo, Hunıio eum in Atholiam perſequentibus.

XXI. Sed jam debitum par, flagitante fortuna, ſedem bello Northamptoniam delegerat; & una dies ſuſpenſos utrimque animos, metu futuri exolvit. XIV Junii (magna dies, & ſi quæ ſuperſunt, poſteris ſeculis memoranda) infenſas acies pugnantes, vincentem hanc, victam illam oſtendit. Nam ut Rex immoto ad

certamen animo Fairfaxium adventare cognovit, diſtrahi conſiliis, iret contra, an bellum cunctatione tractaret. Goringius miſſis ad Regem literis, quæ proxima ante prælium nocte à Fairfaxianis interceptæ ſunt, aciem conſtanter diſſuaſit. Eadem multorum Ducum ſententia fuit. Contra aliis, & ipſi Regi, prælium & feſtinari caſus placebat. *Nam nec Leceſtriam reduci copias abſque ſummo periculo poſſe, & cum equitatu haud dubie validiores ſint, peditatu numero, non virtute & experimento inferiores, cur pugnam ultro provocante hoſte, cum ignominia, & imbecillitatis confeſſione, detrectent? Igitur quærendum Fairfaxium; neque hanc ipſi gloriam relinquendam, ut prior voluiſſe prælium videatur.* Non amplius contradictum fuit, poſtquam ipſe Rex ſignificavit, idem ſibi placere. Ineluctabilis fatorum vis, cujus fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit. Nam recte rem putantibus, non eo adhuc ventum erat, ut certamine extremo opus eſſet, nec Regis peditatus Fairfaxiano comparandus. Ut prælium uſque ad Goringii, qui expectabatur, adventum, vel differri vel omitti debuerit. Erat & alia cauſa, quod miles recenti prçda & opibus gravis, non tam de pugna, quam fuga cogitaturus eſſet, cæteris ira, clade ſociorum, & ipſa inopia, acrius animatis. Sed, ut dixi, fata Angliæ prævaluerunt, & Rex, dubium an Leceſtriam evaſurus, an quod inſequentes in via, & ſubito

ſubito aggredi ſtatuiſſet, copias celeriter præmiſſis impedimentis movit, ac inter Nazebin & Clipſtonam Northamptoniæ, inſtructa acie, incompoſitos adhuc, & nihil tale metuentes, excepit. Fairfaxius ſummo mane Gillinga Nazebin venit, ſimulque tota hoſtilis potentia in conſpectu fuit, ut in editiore loco, ventum locaque commoda in uſum ſuum vertens, conſtiterat, & militari paſſu, appropinquabat.

XXII. Ibi fortuna partium tranſacta, ac ſtatim ad arma pari voce clamatum eſt. Nec leviter initio trepidatum, donec redactus in ordinem exercitus, prælio componeretur. In quem finem reductus in declivia miles, ut extra conſpectum hoſtium, majori celeritate inſtrui poſſet. Quod Regios haud parum turbavit, cum id conſilium fugam interpretarentur. Nunciatumque Regi fuit, Fairfaxianos confuſis ordinibus, Northamptoniam feſtinare; nec dandum ſpatium, dum gradum ſiſterent, & animum ad pugnam reciperent. Igitur tanta alacritate Regii invecti ſunt, ut multa quoque tormenta, ob pondus, & temporis anguſtiam, relinquerent. Locus ipſe mille paſſuum longitudine, inæquali ſitu, cujus altera pars colles erant leviter adſurgentes, accipiendis peditum ordinibus; pars in planitiem porrigebatur, ad explicandas equitum turmas. Huic campo fata regni commiſſa ſunt; & ſpretam Majeſtatem,

ac ſervitutem in æternum proferre, aut ſtatim ulciſci, in hoc erat. Uterque exercitus numero & robore haud multum diſpar; quanquam ſint qui Regi millia quatuordecim, Fairfaxio duodecim tantum adſcribant. Sed illi veteres militiæ, præferoces nobilitatis, & rebus ſecundis nimii. Hi, quanquam cætera, quæ nihil ad fortitudinem & victoriam, impares, acerrimi bello, & utriſque par alacritas, ac velut in extremo ac noviſſimo caſu, inter militaria opprobria auctæ iræ; cum nunc Cornubiam, nunc Marſtammoram, & quicquid mutuis cladibus vel victoria notabile, ingererent. Receptus in propinquo nullus, quod inde Leceſtria XIII, Northamptonia X CIↃ paſſuum diſtaret. Ita utriſque neceſſitas in loco, ſpes in virtute, ſalus ex victoria fuit.

XXIII. Jam adulta dies erat, cum prælium omiſſa velitatione, ſubito ingens per totas acies exarſit. Quarum hæc facies fuiſſe traditur. Rex equite frontem explet; in ſecunda acie Legiones locantur: Ipſe, Rupertus & Mauritius, dextram alam, ubi robur lectiſſimi Equitatus, curare. Cætera inter duces diſtributa ſunt, Aſhleio ſiniſtrum cornu regente. Nec alia Fairfaxii ratio. Qui inſtructos ruenteſque ita diſpoſuit, ut peditum aliquot millia mediam aciem firmarent; equites cornibus affunderentur. In dextra ala, ubi Legiones Fairfaxii,

VVha-

VVhalei, Pyeſii, Roſſiteri, Fineſii, Sheffieldi, Cromvvellum: in ſiniſtra, ubi Fleetvvoodus, Richius, Butlerus, Vermudenii & Suffolcii erant, Iretonum curare jubet. Roſſiter, qui ſub initium prælii,cum legione ſua advenerat, apud Cromvvellum locum cepit. Peditatus Skippono commiſſus, qui acie ea die ceſſurus non erat, niſi victor vel cadaver. Hunc quoque in duas partes Imperator diſtribuit,dextram Fairfaxiis, Montacutiis, Pickeringis, VVallerianis; lævam Skipponiis, Bartletis, Rainſboroughiis, Hamondis obtinentibus. Delecti ad improviſa, & poſt principia ſepoſiti. Pro teſſera his; *Deus nobiſcum*: illis *Deus & Regina Maria*. Non fuit major dies quam cum duo duces, collatis cominus ſignis, direxere aciem. Ipſe Fairfaxius, ut tegimen capiti detraxerat, ingentes curas diſpertiri, obire cuncta; & exemplo ſuo gregarii militis ac Imperatoris munus confundere. Facies illi ante pugnam lurido pallore ſuffuſa; quod ipſi ſolemne, quoties ardua belli, & diſcrimen ultimum aggreditur. Adnotabant quibus otioſum eſt vetera & recentia contendere, maximos duces prælia notabili ſpirituum turbatione inire. Sicut illum ex inferiori labio ſanguinem manaſſe, alium arma induentem, omnibus trepidaſſe membris, & ad galeæ conſpectum expalluiſſe, ferunt.

XXIV. Adhortari milites, jam ſponte ſua

ruentes,

ruentes, neque opus, nec tempus ferebat; & præſumta ſpes cauſas exemit. Et tamen Duces ac tribuni non in totum omiſerunt: *Hanc diem de controverſiis judicaturam. Meminiſſent cauſæ pro qua pugnarent. Vltimum hoc operum fore. Poſtea nihil victoribus impervium, nihil inſuperabile, atque eadem victis adverſa fore. Si belli finem cupiant, hac acie parari. Religio, Libertas, & ab adverſa parte cum Epiſcopis Majeſtas, quæque alia hortamenta victoriæ,* ingeſta. His vocibus inſtinctos exercitus, propriæ quoque iræ ſtimulabant. Regii, quæ frequentiſſima cladium cauſa, hoſtem ſuum, ut multum infra deſpectare; quod in toto exercitu unus tantum Eques, unus tantum veteranus miles, nullus nobilium eſſet. Et hinc voces in contemtum hoſtis, ac victoriæ præſumtio: *Pueros eſſe, qui nunquam arma, nunquam aciem viderint. Illi ut contra Regem, Principes, nobilitatem, veteranos, pugnent? Cur non irruant & ora imberbium Tyronum mucronibus quærant? non aſpectum, non vocem, nedum manus armis aſſuetas laturos.* Ut vero inſonuerunt tubæ, & mixtus cum tympanis tormentorum fragor, vento & ſole utriſque, magis tamen Regiis faventibus, nihil in ſumma rerum cunctati ſunt, & dextra Regii equitatus ala in ſiniſtram Iretoni, effuſo impetu contendit. Glandibus & cæteris miſſilibus prælium incipitur. Nec mora: campo decurſo totæ acies ad pugnam coierunt, & certamen ferociſſi-

ciſſimum oritur. Statim res ad mucrones & manus deducta. Mixtus vir viro, in equum equus incubuit. Concurſum pectoribus, telis, non mollius, quam ſi alliſas rupibus rupes turbo conferret. Reſonabant cadentium turbantiumque confuſo clamore, vicini late colles. VValeius Langdalianos equites aggreſſus, uſq; ad Ruperti peditatum, eos retro egit. Eadem totius alæ ſiniſtræ fortuna fuit, & omnes loco pulſi ſunt. Non minus, ſiniſtrum Fairfaxianorum cornu nutabat. Ipſe Rupertus, inſignis hoſti, conſpicuus ſuis, ante alios omnes, inſtare perculſis, ſternere obvios. Et erat ingens ſpectaculum videre pugnantes Regem & duos Principes Palatinos, quemque inter primos Legionarios, in acie & fronte militum ſuorum. Nec jam vim ſuſtinebat cum ſuis Iretonus, gravi inſuper vulnere tardus. Quod ſicut animum regiis addidit: ita cæteris, quanquam confuſa jam acie, & arctis rebus, indignationem auxit. Plures tamen de victoria deſperare: & amiſſas res, tranſactum de partibus, argumento erat jam in fugam nutans, jam loco cedens ſiniſtrum cornu. Fractaque media acies, triſtem toto campo faciem exhibebat, cum nullis Ducum adhortationibus confuſa fuga ſiſti poſſet. Donec ultimis immixti ſubſidiis, & animo ad extrema obfirmato, hoſtem ſucceſſibus ferocem, magna conſtantia Rainſborou-

ghius

ghius & Hamondus repelleret. Iretonus, dum peditem oppoſitum expugnare annititur, ſariſſa femur trajectus, & Alabarda in faciem ictus, confoſſo inſuper, cui inſidebat, equo, capitur. Fuitque in poteſtate hoſtis, quamdiu prælium duravit. Rupertus, disjecta ſiniſtra ala, fugientibus acer imminere; uſque ad Naſebin trepidos agere. Tum aggredi impedimenta quæ cum præſidio relicta; & demum intellecto Regis ſtatu, ad ſuos reverti. Nullum in illa trepidatione Fairfaxius conſtantis Ducis, aut fortiſſimi militis officium omiſit, intectus capite, promtus inter tela, felici temeritate in prima acie verſari, laborantibus ſuccurrere, multum ipſe pugnare. Et jam præter Iretonum, Butlerum ac Belvinum, Skipponus quoque, à Ruperto, ut nonnulli tradiderunt, vulneratus erat. In quem ut Fairfaxius, ſuo & hoſtium ſanguine cruentatum incidit: *Excede pugna*, inquit, *cætera nobis curæ erunt*. Cui ille ad omnia pericula contumax: *Non excedam*, inquit, *quamdiu vel unus ſubſiſtit*. Dicto fides adfuit. Manu, voce, vulnere, ſuſtentavit aciem; & ſicut princeps pugnam iniit, ita poſtremus confecta exceſſit.

XXV. Interea Cromvvellus ſiniſtram Regii equitatus alam, torrentis inſtar agere. Ut æquato utrimque periculo, cum duo cornua funderentur, anceps & dubia acies, inter militum iras, diu hæreret. Non alias majore mole con-

concurſum, neque ambiguo magis eventu, fuſis utrimque cornibus. Ut plane videretur fortuna, neſcio quid, deliberare. Et hactenus æquata pugna. Dein Ordinibus pro meliore fuit. Prima inclinatio facta, cum regii, omiſſo prælio, quaſi tranſactum de partibus foret, impedimenta, quibus jam omnibus potiti erant, diriperent. Non ſemel victoriam prædæ aviditas corrupit, & pravum certamen ſpolia conſectandi. Sic & tum fortuna pugnæ mutata. Quippe Fairfaxius, inter militarem audaciam, Ducis non oblitus, nunc hoſtium turbabat ordines, nunc vulgaribus non contentus periculis, quacunque rem perplexam videbat, impavidus effundebatur. Et cum hinc ſuos nutantes, inde Cromvvellum ſuperiorem videret, collecto robore, in turbatos, acriorem impreſſionem fecit. Maximum certamen fuit cum pedeſtri legione, quam cœruleam vocant. Illa incredibili audacia locum ſuum tueri. Et quamvis ante & à tergo, omni parte, invaderetur, immota contra ſummam vim hæſit. Donec numero ingruentium oppreſſa, ut conſtiterat, cecidit, locumque pugnando captum, ſuo quiſque cadavere, pulcherrimo virtutis monumento, texit. Pauci evaſerunt, cum in ipſam mortem, ferina rabie, pugnarent. Nec alius jam labor reſtabat, quam peditem, ab equitatu deſertum, concidere. Interjectumque ſpacium, dum tota Fairfaxii acies,

acies, coïret. Adhuc ſe victos regii non agnoſcebant, indignantium ſimiles in novam aciem conglobati; & milites celebrantes culpanteſve, uberioribus inter ſe probris, quam laudibus ſtimulabantur. Ac quaſi ex compacto, uterq; exercitus, in medio ardore, aliquandiu immotus cõſtitit. Utrimq; pudor, utrimq; gloria, & urebat acerrimas mentes victoriæ decus ac præmium. Tum poſt breve ſilentium, redintegrato certamine pro victoria, haud dubie ad hos ultimos niſus ſecutura, tanto ſe impetu in hoſtem Fairfaxiani intulerunt, ut ſuſtineri ultra non poſſent. Hinc trepidatio, & Rex fremens frendenſq; cædem ſuorum ſpectabat, ac tota volitantem acie, fortuna magis quam virtus deſeruit. Lentæ adverſus Imperia aures, & ſibi quiſque properus. Mox omnis equitatus, ſine pudore flagitii, ſine cura Ducum, effuſiſſima fuga, Leceſtriam verſus contendit, deſerto cum tormentis & impedimentis toto peditatu. Qui undique circumfuſus, abjectis armis, vitam petiit, & in neminem ultra aciem ſævitum. Simul quicquid à fugientibus relictum, præter Labarum Regis, in quo Leo corona aurea inſignis ferociebat, ſigna militaria centum, lintres portatiles, omnia tormenta, caſtrenſe argentum ac ſecretiores epiſtolæ, cum opima præda, in poteſtatem conceſſerunt. Ita ſecundiſſimum prælium factum. Non unquam toto bello celebrior & ſine exceptione victo-

victoria parta. Iſque primus dies, Regis partes funditus afflixit, & impoſterum adverſa omnia habuit. Ut haud facile reperias, quem aut pronior fortuna aliquandiu comitata ſit, aut veluti fatigata, maturius deſtituerit. Cæſorum tam exiguus numerus, ut mirandum ſit, tam vili ſanguine, tantum captivorum, tantum victoriæ partum. Ex regiis non amplius cccc, ex Fairfaxianis vix centum deſideratos conſtat, inter quos unus tantum centurio & duo ſigniferi. Nemo majoris notæ, ne inter regios quidem, cecidit, quanquam primo dubia fama, Regem, Rupertum, Lenoxium, Langdalium, & alios, vulneratis vel exſpirantibus accenſeret. Repertum quoque in præliari campo ligneum ſimulacrum, viri imagine, quod regii, *Deum Roundheadorum* vocabant, & paulo ante prælium, in triumphi ſpeciem, contemtim circumgeſtarant.

XXVI. Hæc eſt nobilis illa ad Nazebin pugna. Quid ille dies Britannico orbi præſtiterit, ex quo in quem ſtatum pervenerit fortuna publica, continui ſucceſſus oſtenderunt. Inſpectum Skipponi vulnus, inter dextri lateris coſtas, nullo plumbi exitu deſidens, & explorantibus dubium an receptum in vitalia eſſet, opinione gravius deprehenſum fuit. Ac dicente aſtantium quodam; Turbari ejus diei gaudia hoc infelici caſu: *Neutiquam vero* inquit. *Qua glorioſiore morte vel vulnere defungar, quam pro Religione*

& Libertate pugnando? Deus me, commilitones, Deus roboravit. Northamptoniam ex præliari campo ductus eſt. Ac primo propter febriles calores deſperatum vulnus videbatur. Mox, iis remittentibus, miteſcere, & curam admittere cœpit. Captivorum ad millena quatuor, per Fineſium Londinum tracta; quorum aliquot centuriæ nomina ſua Hibernico bello dederunt. Quippe Ultonii Britones, tum arma Lageniæ & Connachiæ, una cum Scotis, quorum Monrojus Dux, intentabant; in Momonia Inchequinio, utcunque magnas rebellium copias ſuſtinente. Qui nihil ab inſita immanitate remittentes, atroci etiamnum cæde, in miſerrimos Proteſtantes graſſabantur. Et his aliqua captivorum manu commodiſſime ſubveniri poterat, ſpretis Hiſpani Legati poſtulatis, quibus eos, qui Regi ſuo ſtipendia facere vellent, ambibat. Ac cum ex interceptis literis innotuiſſet, peregrina auxilia expectari, Cromvvellus Ordinibus Eaſt Angliæ ſcripſit: *mature Eliam præſidio firmarent; habita Lovinglandiæ & Cromeræ cura, ne infeſtam claſſem alicubi incuſtoditis littoribus hoſtes inſinuent.* Sed tunc fruſtra Lotharingus timebatur, cui audita Regis clade, conſilium in Angliam veniendi, nullum fuit.

RERVM
BRITANNICARVM
Liber Tertivs.

Ivnivs. i. *Fuga regiorum.* ii. *Leceſtria recepta.* iii. Fairfaxii *in Occidentem expeditio.* iv. *Synodi Edinburgenſis ad Regem monita & querelæ.* v. *Secreta in prælio capta populo prælegumtur.* vi. *Qui exinde motus animorum?* vii. *Novus belli apparatus in Occidente.* viii. *Salopiorum geſta.* ix. *Carleolas* Glemhamus *dedit; & Scoticum præſidium recipit. Hinc querelæ.* x. *Dorſetii & VViltonii tumultuantur.* xi. *Prætextus eorum.* xii. *Regiis favent.* Ivlivs. xiii. *Rex eos promiſſis ſollicitat.* xiv. Ludovicus *Dyves incendit.* xv. *Miſer Angliæ ſtatus in civili bello.* xvi. *Tauntona iterum obſidione liberatur. Ejus mirabilis conſtantia.* xvii. *Liber, Deum peccati authorem faciens, crematur.* xviii. Goringii *apud Langportum clades. Bridgevvatera, Scarborougha, Pontefractum deduntur.* xix. *Regis anguſtiæ.* xx. *Spes belli patrandi.* xxi. Scoti *Herfordiam obſident.* xxii. Fairfaxius *Bathoniam & Sherbornam capit.* Avgvstvs. *In Hibernia rebelles Youghallam obſident. Slego iis erepta. Sollicitantur à Rege.* xxiii. *Clavigeri contuſi.* xxiv. *Regis arcta conditio in Occidente.* xxv. *Cui Cambri Cardiffam extorquent.* xxvi. xxvii. *Contendit ad* Montroſium. xxviii.

A quo Scotia miſere afflicta. XXIX. *Clades & internecio Kilſithana.* XXX. *Miſer Scotiæ ſtatus.*

I. QUis dubios rerum humanarum caſus ſatis mirari queat? Quis non diverſa præſentibus, contraria expectatis, aut ſperet aut timeat? Ita Regiis, ex tanta rerum gerendarum ſpe, neceſſitas injecta, magis qua evaderent, quam quo progrederentur, & propinqua ſimul ac longinqua omnia circumſpicere coacti ſunt. Primo quidem continenti fuga Leceſtriam petunt. Ibi vulneratis depoſitis, agmine diviſo, pars Lichfieldam, Nevvarkam alii contendunt. Rex ipſe Aſhbydelazouchiam ea veſpera delatus, intellecto exercitus Fairfaxiani adventu, cum paucas horas quieti dediſſet, media nocte Lichfieldam, inde in Cambriam, non intermiſſa fuga, evaſit. Reliquum equitatum Langdalius Nevvarkam duxit, cunctis mirantibus, qua felicitate Johannem Gellium, eadem die Nottinghamia Leceſtriam, cum bis mille equitibus contendentem, uterque elapſus ſit. Cromvvellus, cum equitatu noviſſimos per multa millia paſſuum inſecutus, magnam captivorum multitudinem retraxit. Finis ſequendi, nox & ſatietas fuit.

II. At Fairfaxius, promto ob recentem victoriam milite, cum Leceſtriam trepidare haud dubium eſſet, proximo poſt prælium die, cum univerſis copiis, Magnam Glynam, quarto ab

urbe

urbe lapide, pervenit; ſtatimque oppugnatio cœpit. Nam cum deditionem Haſtingus obſtinate abnueret, urbs tormentis concuſſa eſt; jamque collatis undique ſcalis invaſionem moliri miles; cum de conditionibus obſeſſi agere cœperunt. Præſidiarii exermes Lichfieldiam deducti ſunt. Tormenta XIV. ſigna militaria XXX, armorum & equorum magnus numerus, cum divite præda, in poteſtatem venerunt. Haſtingus, ſive quod exercitus fidem, nullis adhuc obſidionibus exploratam ſuſpectaret, ſive conſcientia facinorum, non expectato tempore, cum paucis quibuſdam, deſerto milite ſuo, evaſit; eaque res non minimi mali cauſa fuit, cum conditiones non obſervatas eſſe, utrimque jactaretur.

III. Mox, ut non tam vincere miles ſciret quam victoria uti, ne irritum bellum traheretur, decretum fuit, fracto jam hoſti uſque in exitium inſiſtere, ne Cambricis delectibus, & in Occidente Legiones repararet. Igitur, confirmata in præſens urbe, cui Needhamus præfectus, exercitus per Warvvicenſem agrum ad Sabrinam, ductus eſt, donec Ordinum placita innoteſcerent, perſequi Regem, an Tauntonam liberare præſtaret. Ac ne dubitando & dies prolatando opportunitates corrumperentur, additi Imperatori, qui conſiliis intereſſent; ut miles per omnia extra dilationes poſitus,

conſultis facta jungeret. Viſum Patribus, Tauntonam petendam, quod Scotos Wigorniam, diſturbando Rege, evocaſſent, & interceptæ à Goringio literæ, nonniſi ad paucos dies urbem defendi poſſe, ſignificarent. Ita per VViltoniam & Dorſetiam ſumto itinere, Fairfaxius in Occidentem curas intendit. Nihil memorabile in via accidit, niſi quod Hivvortha, templum firmis munitionibus validum, capta fuit: miſſuſque cum Butleri legione Hortonus, qui Barkleianos Gloceſtriis infeſtos, contineret. Qui cum aliquoties feliciter in Carolum Lucam, arcis præfectum, pugnaſſet, paulo poſt ad exercitum Tauntonam reverſus eſt.

IV. Rex Herfordiam convocatis Provincialibus, ne diſſimulata clades in majus crederetur, ultro aſſeverat; *aliquid nuper damni acceptum eſſe. Cæterum auxilia in promtu, & ſi mala imminentia effugere velint, fortiter omnibus, qui arma ferre poſſint, contra hoſtem pugnandum.* Ad perculſum adhuc recenti prælio, miſſæ à Scoticis Eccleſiis, ex Edinburgenſi Synodo literæ; quibus eum graviter adhortantur: *ut agnitis ingentibus peccatis, ſeriam in tempore pœnitentiam agat. Quomodo enim Deum laturum putet, bello contra fideles & pios ſubjectos moto, Hibernis rebellibus ad cædem eorum armatis & authoratis, Miſſam & abominanda Idololatriæ permitti? Patientiam populi uſque ad extremum tentatam, non poſſe non, ſi ita*

ita ut cœperit, obſtinatus pergat, certiſſimum & ipſi & poſteris excidium afferre. Iam & in Scotia, inquiunt, *barbarus Hiberni, Proteſtantium ſanguinis inſatiabilis enſis, horrenda cædium ſtrage graſſatur. Vtcunque nos taceamus, innocens ſanguis, tuo juſſu fuſus, Miſſa, profanatum Sabbathum, ſpreta ſubjectorum fidiſſimorum juſta poſtulata, vociferantur; & te ac tuos coram Deo accuſant. Nimium Papiſtis indulges, nimium pertinax, contra Deum & tuam ipſius ſalutem ac felicitatem certas. Tandem aliquando reſipiſce, & ſine filium Dei, ſuper te ac regna tua, puro cultu & ſincera gubernatione Eccleſiarum, dominari.* Sub finem ſupplices petunt: *Vniformem Religionis cultum, ab utroque regno probatum, ſua authoritate confirmet.* Has literas Loudenius ad Digbium miſit, à quo Regi Herefordiæ in manus traditæ ſunt.

V. Et hæ tum Scotorum querelæ. Acriores apud Anglos motus, & inde præcipua in Regem alienatio, ex interceptis in Nazebiano prælio literis. Quas primo anceps & varia fama jactabat, cum adhuc in Parlamento ſecretæ haberentur: pacem cum Hibernis, Papiſticæ impietatis libertatem, imperioſa Reginæ conſilia, ſimulationes, Parlamenti contemtus, mira & hactenus multis non credita, contineri. Ac ne incertis rumoribus veritas labaret, in civium frequentiſſima concione, prælectæ ſunt; quæ averſata ſubtiles conatus, Parlamenti exhorta-

tiones & ſinceritatem feſto applauſu probavit. Pembrocius, Northumbrius, Liſleius, Tatus, Brovvnius, mentem literarum, ſicubi involutiores ſenſus eſſent, aperuerunt. Et Brovvnius quidem civitati concordiæ bona propoſuit; *Vnicum in conſenſu levamentum. Et ſi*, inquit, *ſumus inſeparabiles, ſumus quoque inſuperabiles. Abſit à vobis, cives, ut ex veſtris diſsidiis, gaudium hoſti, vel victoria naſcatur. Audiviſtis quam conjurata mente, in Religionis, Legum, Libertatis, excidium ac ruinam ferantur. Papiſmum introducere, ea demum Regiorum cura, id votorum ſumma videtur.* Quæ cum in vulgus effluxiſſent, ingens animorum commotio ſecuta eſt. Nec graviſſimis vocibus temperabant: *Nimirum nunc apparere quocum hoſte confligentur. Cui aliud in ore, aliud in corde ſit. Qui palam Proteſtationibus, & horrendis execrationibus, Deum hominesque fatiget, nihil aliud ſe ſpectare, quam Religionis Proteſtantis conſervationem, & Papiſmi extirpationem. Clam interim, in rebellium Hibernorum, quos toties ſibi totique mundo execrabiles dixerat, gratiam, ſe omnes Leges refixurum polliceatur. Quid ultra dubitent? agnoſci ab omnibus manum; extractam è tenebris mentem. Iam non ſimulata verba, & proteſtationum inania, ſed animum ac fluxam fidem inſpici. Papiſticas artes eſſe, contraria dictis ac profeſsu animo abdere. Vbi autem illa ſpecioſa ſint?* Nunquam Leges contra Papiſtas refigam: vel meminiſſe

externi

externi militis horreo? *Cur non una opera lucem tenebris concilient, quibus verba talia actionibus, intentioni prætenſiones, publicæ declarationes privatis conſiliis, reſpondere videantur? Deniq; omnia ex Regina transmarinis præſcriptis agi. Serviendum fœminæ. Conjugis Imperio obnoxium Regem. Eam cuncta dominationis flagitia ſuggerere; & virile aucupari Imperium. Eam belli, pacis, Religionis, Parlamenti arbitram, nunc hos, nunc illos, muliebri impotentia, criminando, regni arcanis incubare. Iam & Hibernos evocari, bonos illos & fideles ſubjectos Catholicos, ut Papiſmo extirpato, Proteſtantem Religionem propagent in Anglia, ſicut paulo ante in Hibernia fecerint.*

VI. Contra alii, excuſare literas, neceſſitatis obtentu; plures ſuppoſititias exiſtimare, & commento callido, ad populum incendendum ſparſas. Quorum opinionibus confutandis, permiſſa cunctis, qui vellent, & manũ noſcerent, præſens inſpectio. Selectiorum quoq; faſciculus, à Parlamento evulgatus, additis animadverſionibus, quibus in Reginam ac Regem querelæ repetuntur. *Reginam quidem omnia Regis conſilia gubernare, ſexu fœminam, origine alienam, Religione Papiſtam, moribus imperioſam, & in qua dominandi cupido, ac Papiſmi in Britannia ſtabilimentum, cunctis affectibus flagrantior ſit. Nec magni quippiam, nec parvi, non prius conſulto ejus oraculo, & conſenſu impetrato, expediri. Quicquid*

illi videatur, Imperii vim obtinere. Atque ipſam, odio Religionis & Ordinum flagrantiſſimo, extrema omnia, Gallos, Lotharingos, Hiberniam, Scotiam, prenſare. Pernicioſa conſilia, de Parlamento ſolvendo, Papiſtis & Epiſcopis defendendis, ſuppeditare, ſuſpiciones inter Regem & populum intendere. Iam Regem non Papiſtas tantum, ſed & Proteſtantes, tanquam in omnium Monarchiarum hoſtes & deſtructores, ſollicitare. Ita excitos Danos, pacem cum Hibernis feſtinatam; ne tam boni & fideles ſubjecti excluderentur, ſiquidem in Britannia conveniret. Abolita clanculum Parlamentorum acta, etiam quæ Religionem ſpectent. Pacem ſubdolè tentatam, & vano, cum res negaretur, nomine illuſum. Solos Papiſtas in aula gratia florere. Hinc Brownio, Muſkeryo, Plunketo, deterrimis rebellium, gratias agi: cum VVilmotus, Percius, Suſſexius, contemtim & ut ſuſpecti habeantur, ac Oxonienſis conventus, velut ſpurius & ſeditioſus, proſcribatur. Cujus nomine factioſi maleſana conſilia apud populum tegant ac incruſtent. Tum ad Oxonienſes oratione verſa: *Quid*, inquiunt, *contemti à Rege, apud Reginam ludibrio, adhuc moramini? Nondum omnino de vobis actum eſt. Et erroribus venia parata erit, ſi patriæ quam hoſtibus ejus ſervire malitis: & illo facinore ignominia ad poſteros expiabitur. Nam cunctis jam innotuiſſe, in quantum verba factaque Regis, ſi componantur, diſcrepent. Averſatum omnem belli ſuſpicionem, Papiſtas, Hibernos rebelles, externas*

copias:

copias: re ipſa, nomine cuſtodum corporis, exercitu collecto, & bello moto, Hibernis rebellibus pacem ac gratiam, Papiſtis arma & ſuperſtitionis libertatem, abrogatis quæ contra erant, legibus, indulſiſſe. Gallos, Lotharingos, Danos, in Angliam evocatos. Hæc tum omni Anglia ſparſa, ut animi in partes diviſi, variè accipiebantur.

VII. Rex, immotus adverſus querelas, quibus dudum aſſueverat, ferox mali inſania, per Cambriam volitans, arma in Fairfaxium, arma in Scotos poſcebat; certus inclinatam rem, niſi ſtatim erigeretur, ſiſti non poſſe. *Ita vulgi, ita militum animos eſſe, ut Principes ex ſucceſſu æſtiment. Fruſtratos impetus contemtu vindicari.* Igitur futuri ambiguus, & magis quid vitaret, quam cui fideret certus, non tamen curam belli omiſit. Equitatus ad manum vis magna. Peditem Cambri, Cornubii, Hiberni, & ſi poſſet Montroſius, promittebant. Jamque milleni à Gerhardo, Pembrociam acriter obſidente, cum aliquot equitum centuriis miſſi; quibus ſe in Herfordienſi agro Rupertus, & apud Vigornios Mauritius conjungerent. Delectus undique habiti, detrectantibus pleriſque infelicem militiam. Nec contemnendam manum Grenvilius habebat: & validæ ſub Goringio in Somerſetia Legiones. Imminuta paſſim præſidia; & Oxonienſes, quibus jam præter Abbingtonios & Gaunthouſam, à VVallingfordiis & Boſto-

Boſtoliis fruſtra tentatam, nihil moleſtum erat, carere aliqua parte militum poterant. Lembi celeriter reparati, quibus navigaretur magnus Sabrina, & ex Cambria in Somerſetiam, vel Gloceſtriam, ſupplementa trajicerent. Erant & caſtella, urbes, ac trahendi artes. Ita ut nemo dubitet, potuiſſe renovari bellum atrox, lugubre, & incertum victoribus pariter ac victis. Et jam novi exercitus moles in Occidente coibat, ad quam maturè diſpellendam, duo exercitus, Scotorum alter ſub Levenio, alter Fairfaxianus, ſubitis delectibus confirmatus, deſtinati ſunt. Ingens ſucceſſuum ſpes, dum totò campo miles victor, dum nullus extra Cambriæ montana & receſſus, hoſtis appareat. *Et quanquam adhuc atrociter loquerentur, minorem eſſe apud victos animum. Eripienda præſidia, quibus velut compedes injecta Provinciis. Briſtoliam, Oxonium, Newarkam, & Hibernorum receptricem Ceſtriam hoſti extorquendam*; omnes fremere.

VIII Ac victoris exercitus gloria paſſim audacius in Regios pugnabatur, ſuſpenſiſque paulò ante Provinciarum mentibus, ingens rerum fiducia acceſſit. Roſſiter à perſequendo Rege reverſus, Nevvarkios prædones, multis captis, in fugam egit. Qui tamen in Lincolnia, Hougamhouſa capta, & apud Sapelſbyam tranato Foſſedickio, Lindſeimarchiam infeſtarunt, cæſo, ſed majori ſuorum clade, haud procul

procul Burtonâ Harringtono. Dudleianos Aſhurſtius Staffordiæ præfectus, prope VVolferhamptoniam;& haud longe MalmeſburiaDuetum transfugam, Sadlerus aliquo damno multavit. Eadem fortuna à Brovvnio & Breretono pugnatum. Salopii Foxeſhouſa, Stoaka, Marvillhouſa, Cauſa & aliis ignobilibus, ſed Provinciæ noxiis caſtellis, regios ejecerunt; Venabili Tarvinienſium præfecto illos Ceſtriorum, quos Ioh. Povvellus obſeſſis auxilio ducebat, profligante. Nec aliud fatum illos excepit, qui Bramſgoviâ depulſi, Stoakam quoque, à Goldingio & Oſvveſtrenſibus cæſi, fruſtra tentarunt. Felicius tamen in domus Nevvportiæ obſeſſores regii pugnarunt. Quippe contractis ex Vigornia, Herfordia, Lichfielda, & aliundè, amplis copiis, repentè ſecuros oppreſſerunt. Cæſi & capti CL, reliquis Salopiam fugientibus. Mox tamen clades, VVhitmori domum obſidentibus, regeſta: & Schravvardia dedita, præſidio CCC Ludloviam dimiſſo.

IX. Jam & Scoti Nottinghamiam venerant, novem peditum, tria equitum millia trahentes, ac ibi, accepta in ſtipendium pecunia, Vigorniam & Cambriam petere juſſi ſunt, delectus regios turbaturi, dum Fairfaxius Tauntonenſes liberat, à quibus eruptione in Goringium haud improſperè pugnatum. Et ſic illi aſtus eluſerunt, ſimulantis perditas apud Parlamentum

tum res, ſuis victoriam proveniſſe, ac negabant ſe minis & terrore vinci. Sic fraus irrita fuit. Scoti inde progreſſi, cum Hutchinſonius Nottinghamiæ præfectus, partem hoſtium, captis aliquammultis obruiſſet, miſſo cum ala equitum Middletono, CCCC Nevvarkios ad Regem tendentes profligant. Non unquam Regi anguſtiores res, & adverſa conſilium adimebant. Nam quomodo hinc inſtantes Scotos, inde Fairfaxium ſuſtineret, nullo adhuc exercitu inſtructus? Nihil in Septentrione firmum. Longa Montroſii cum auxiliis expectatio. Quem Bailius cum IVCIↃ equitum peditumque, per montes & luſtra ferarum, quaſi indagine debellabat, abactis undiq; armentis, ut fame domaretur, tutum locis atque fuga, durum & velox genus. Hactenus diuturnæ obſidionis mala omnia & penè Saguntinam famem, Carleolæ toleraverant; nunc deditio facta, per Thomam Glemhamum, præſidio Nevvarkam tranſlato. Et caſtellum Rabi Dunelmenſis Epiſcopatus, à Franciſco Lydallo, cum CXX equitibus Boltona erumpente, interceptum, paulo poſt Georgius Vanius iterum regiis extorſit. Ita limitaneis Provinciis amiſſis, nulla, vel exigua ſpes, à Montroſio. Pontefractum & Scarborougha quoque, arces ne magnis quidem exercitibus expugnabiles, non tam machinamentis & aſtu oppugnationum, quam inopia,

inopia, ad extremam tabem deductæ ſunt. Et hoc rerum ſtatu Fairfaxius Regem inſecutus eſt, ſimul Tauntonenſibus auxilia laturus. Converterat ejus perſona in ſe totum Britannicum orbem. Nec tam vi quam intentiore diſciplina, Provincias ſubegit; & hinc accenſa in eum populi ſtudia.

X. In tantis adverſitatibus, non omnis Regem fortuna deſeruit. Nam & Occidens, ut nondum aperta conſenſione, ita viritim promtis ſtudiis, graviſſimo tumultu, & haud occultè in ejus favorem exhorruit; & quod Carleolis Scoti ſuum præſidium impoſuiſſent, Northumbriis, Cumbriis, VVeſtmoriis, & in univerſum diſplicebat, tanquam federi contrarium. Unde, pro affectu partium, ſpes metuſve gravioris diſſidii; & Parlamentum Levenio ſcripſit; *Anglis urbem redderet.* Non quod aliquid ſecius ſuſpicarentur: ſed obſervandæ erant conditiones federis, & rumoribus occurrendum, quibus maligni *Scotos non tam propitios in Angliam veniſſe, quam ex bello prædam quærentes,* jactabant. Ac viſum impoſterum, ſicut Scoti ſuos delegatos Londini haberent; ſic Edinburgum tales eadem poteſtate ablegare, qui Parlamento ejus gentis adeſſent; & ad eam rem Comes Rutlandius, VVhartonus, Henricus Vane Senior, Armynus, Hatcherus, Goodvvinus, delecti ſunt.

XI. Porro motus Occidentis ita ſe habuit. VViltonii, Dorſetii, Somerſetii, regiis clam annitentibus, coitione facta, quaſi contra militum injurias, & pacis ſtudio, ad arma inſenſe provocarunt, primos eorum conatus iiſdem, qui & authores fuerant, regiis, per diſſimulationem alentibus. Et facilè erat gravia paſſos in ſocietatem trahere, cum attritis jam rebus, vis damnaque & injuriæ ægrè tolerarentur. Nam vulgus ſentire graviter belli mala, converſa in militum uſus pecunia, intentis alimentorum pretiis. Itaque factioſi agitare inter ſe mala belli, conferre injurias & interpretando accendere: *Satis ſuperque ignavia & mollibus conſiliis peccatum; & ideo quaſtus neglectos, quia mina abfuiſſent. Repetant memoria vaſtitates, peculatus, exilia, quibus civiles diſcordia arſiſſent. Vim corporibus factam, ſubjectos tectis ignes, & catera qua in ejuſmodi turbis fiunt. Nihil proſici patientia, niſi ut graviora, tanquam ex facili tolerantibus, imperentur. Multiplicato numero dominorum, auctam ſerviendi vilitatem, & eas eveniſſe clades, quas deinde non multorum felicitas annorum, expiatura ſit. Vbi autem ille promtus libertati, aut ad mortem animus? Incultos agros, exuſta domicilia, quid niſi famem, & in ſervitute ultimum, minentur? Quinimo ineant fedus. Pulchrum fore vel civiles acies beata pace componere, vel, ſi fatis abnuentibus hoc non ſuccedat, ſaltem vacuos à tributis, conjuges,* *libe-*

liberos, bonaque à militum injuria defenſuros. Adſtrepebat his alacre vulgus, nihil ultra verba auſurum. Factioſi diſcedunt ad conterminos; injurias, raptus, & cætera belli mala enumerant: teſtificantur, *adimi veterem libertatem. Non unquam arma infeſtius contra patriam & Religionem, quam nunc obtentu ea defendendi exercita.* His atque talibus, magnas ſtatim, eadem omnia frementium, copias coëgere, acribus, ut fermè talia, initiis, incurioſo fine; & per conciliabula ac cœtus ſeditioſa differebant, occultato interim altiore conſilio. Non modicè juvit, quod authores facti, damnorum, ſi quæ pro hac cauſa acciperentur, compenſationem ſociis promitterent. Plures quaſi valetudine & contactu; alii arte magis & impulſu, quam ſuo ingenio, ad partes traducti. Et inſitum mortalibus natura, properè ſequi quæ piget inchoare. A ruſticis armis, & frequenti fuſtium uſu, recepta jam Anglis voce, Clavigerorum nomen, cunctis tributum. Nam quamvis magna pars militaribus armis inſtructa eſſet, plerique tamen, ut quemque caſus armaverat, ſparos aut lanceas, alii præacutas ſudes portabant. Seipſos, à pacis obtentu, vocavere Pacificos. Inſignia albæ faſciæ, quarum nonnullis inſcriptum: *Pax & veritas.* Prætextus armorum, defenſio Religionis, legum & libertatis contra omnem vim & oppreſſionem, quæſitus.

XII. Et hi tertiam in diſcordante regno factionem conſtituere volebant; ita inter Regem ac Parlamentum medii, ut tamen vim inferentibus ſe hoſtes fore minarentur; prout inclinaſſent, grande momentum, ſocii aut adverſi. Onera & collationes utriſq; negare, & gratuitos militi commeatus. Poſtulatum quoque: *Præſidia deducantur. Quod ſi aliquorum uſus neceſſarius, ea ſe curaturos, per fidos homines, qui tum Regi, tum Parlamento, probentur.* Atque hæc poſtulabant, non ut aſſequerentur, ſed cauſam ſeditionis: nec preces erant, ſed efflagitatio intempeſtiva, contumax & improviſa. Ac facile perſpectum fuit ab altiori fonte hos motus proficiſci: & illas militum injurias, quanquam haud omninò vanæ eſſent, tantum in ſpeciem ſeditioni prætextas. Compertumque fuit pacis nomine à regiis armatos, ut Tauntonenſis obſidii ſolutione impedita, Fairfaxii in Devoniam euntis ultimum agmen carperent, dum hinc Goringius, inde Rupertus inſtant. Quanquam paucorum hæc mens fuerit. Vulgus amabili pacis nomine continebantur, ſecuturum tamen vano impetu, quocunque authores turbarum ſe converterent. Nec ipſi adeo premere conſilia, ut non gravibus in Parlamentum & orbicularia capita, dictis, regios incitamentum facti & participes oſtenderent. Tum major Ducum pars ex factione Prælatorum, & quos

Regiis

Regiis favere, haud dubium erat. Initio ſtatim conjuratio ingenti celeritate, per illas Provincias diſſipata eſt; ac Sariſberiæ I ɔ c c hoc prætextu arma ceperunt. Mox apertè in Maſſeium hoſtilia auſi, ex ejus Sturmiſter-Nevvtoni ſtativis, ad ſexaginta equos & milites abripuerunt. Qui rei atrocitate perculſus, miſit ad eos inquiſitum: *Quæ tanti motus cauſa; quid ſibi illa vis, quid coitio, quid arma vellent? Aut enim reſtituerent ſine mora quicquid ablatum: aut ſe eos in hoſtium numero habiturum.* Nec Parlamento deliberandum diu fuit, an impunè poſſet offendi, & periculum haudquaquam contemnendum videbatur. Quippe jam ad millia quinq; excreverant, & metuebatur ne hæc licentia, quaſi rabies, ad cæteras quoque Provincias, oneribus pariter feſſas, & deminutionem tributorum orantes, contactu procederet. Jamque multi fortunam ſeditionis alienæ, mente ambigua ſpeculabantur, animum ex eventu ſumturi. Igitur juſſi Fairfaxius & Maſſeius, primo verborum mitium ac ſalubrium fomenta indignantibus adhibere. *Meminiſſent cauſæ, quæ omnibus fruſtra tentatis, tandem ad arma, utcunque invitos ac regni exinde ſecuturam calamitatem gementes, traxiſſet. Nec pacem, niſi iniquam, & cui anceps bellum longè præferendum ſit, impetrari potuiſſe. Sic publica conſtantia coërcendam eorum tyrannidem, qui Regem ad ſæva conſilia rapiant.*

Quod ſi arma ponere, ſi domum quieti redire nollent; tum vero pervicacibus vis intentaretur, & ſtatuto in ſeditionis authores gravi, & ad terrorem exemplo, cæteros Imperii oblitos admonerent. Nihil in vulgo modicum; terrere ni paveant; ubi pertimuerint impunè contemni. Sed illi pacem atque antiquum Religionis decus clamare, eò infenſius, quòd tum Liturgia quoque abrogaretur.

XIII. Et jam apertiora Provincialium odia: quanquam nunc, & in ſpeciem, Goringio, nunc Fairfaxio adverſi, ſolas adhuc perſequi injurias viderentur. Si qui innocentius, & aliorum potius exemplo, quam ſuo motu, ad partes abrepti fuerant, eos paulatim falſiſſimæ criminationes, totis caſtris ſparſæ, accendebant. Corrupti ſemel animi, poſtea licentiam ſibi faciunt, quantam rivi crepidinibus ruptis. Rex datis mitibus reſponſis, favorabili Oratione, ac meditato temperamento, querelas ita tractabat, ut remedium contra eas, pace non impetrabili, in ſolis armis ſitum oſtenderet. *Sibi calamitates, maxime Dorſetiorum, juſto dolori eſſe. Vnde ſtudia ac conatus, quanquam aliquatenus inordinatos non improbaturum; manente præter juſtas belli cauſas, & pacis conſtanti deſiderio. In quo cum conſentiant utrimque, miſſurum à quibus de priori arbitrium ſuum audiant. Nimirum unione arctiore, pro bono publico, opus eſſe. Si VVeſtmonaſterienſes pacem*

quæ-

quærant, ſe audire paratum: maxime nunc Scotis extera gente in regni meditullio graſſantibus; unde ipſi Occidenti minentur. Conditiones non alias ſore, quam Religionis, Regni, Privilegiorum Parlamenti, Libertatis ſubjectorum, integra jura. Sine dolo & captionibus. Inducias inter Vxbridgenſes tractatus, poſtulanti negatas, ſerio repetiturum. Exactiones interea moderatas, militum, ſicubi delinquant, ſeveras pœnas fore. Et hæc delinimenta erant pariter ac incitamenta irarum apud infenſos. Id agebatur hoc apparatu, ut odio Parlamenti inflammati, ad regias partes palam accederent.

XIV. In eum finem miſſi, qui plena cum poteſtate cætera pertractarent; & liber de Uxbridgenſi pacis negotio iis prælectus, quo in Parlamentum omnis continuati belli invidia, rejiciebatur. Rex ſiquidem pacis ſpes corrumperetur denuo, paratum ſe oſtendit, iis præſidia ſua, tanquam acerrimis propugnatoribus Majeſtatis committere. Inſtabant in vicinia Regii. Ludovicus Dyves Sherbornæ præfectus, acrius intendere calamitates: *Exigi violenter opes; viceſima vectigal, quintam redituum; conferendis pecuniis exhauſtas Provincias; nec tamen inſatiabili avaritia ſatisfieri. Iam & vectigal cibis impoſitum; & exquiri nova prædandi vocabula, nec quicquam, non flumina, non portus, non corpora denique, immunia eſſe: bona fortunaſque in tributum egeri. Et poſt hæc*

 omnia,

omnia, Provinciam incendiis, præda, captivitatibus vaſtatam; nihil Dei honoribus relictum. Orthodoxos & fideles clericos proſcriptos; ex templis facta ſtabula, calcatas aras, ritus ſacrorum obliteratos; direptum quicquid cultum ornaret. Liturgiam antiquitate ſua, & Legum ſerie venerabilem, introductis pro ingenio cujuſlibet innumeris Religionibus, ejectam. Civili ſanguine ſuam furiis conſecrare novitatem. Plus uno biennio ab illis Reformatoribus paſſos, quam ſub tot Regum, per ducentos annos, etiam ſevero Imperio. Omnia incommoda mitiori tempeſtate in publicum voluta, quam quæ procellæ ex comitiorum freto exæſtuent. Nec ſpem felices unquam videndi dies ſupereſſe, niſi junctis cum Rege armis, ſpretam pacem ulciſcantur. Princeps Rupertus multum conſternationis invidiæque concivit; ex interceptis literis ſibi compertum ſcribens: *Parlamentum ſtatuiſſe omnes, extinctis ſeditionum authoribus, opprimere. Actum de vita & libertate eorum, ſi Regias partes, conſcientiæ ac honoris ſui prodigi, deſerant. Vnam in armis ſalutem; ſed ea conſilio temperanda. Nec cunctatione opus, ubi pernicioſior quies ſit, quam temeritas. In ejuſmodi conſiliis periculoſius eſſe deprehendi, quam audere. Neceſſitate exprimendum, quod per modeſtiam non obtinerent.*

XV. Contra qui pro Parlamento, hortari; *ab armis & vi deſiſtant, impetrabili venia & paratis deprecatoribus, ſi pœniteat. Cur enim, ſi medii eſſe velint, ſi quæ prætendantur, motuum cauſæ ſint,* *alte-*

alteram partem aperte juvent, alteri adverſentur? Quid ſibi Papiſtarum, delinquentium, miniſtrorum ebrioſorum & ob flagitia infamium, deformis conſluges velit? Quid ſecreta cum Regiis conſilia? Et quo tandem prætextu contra Parlamentum hoſtilia molimini? Num quia libertatem ſuo periculo, contra tyrannidem & oppreſſiones aulicas, defendunt? an quod voverunt Papiſmi, Schiſmatum, errorum, ſuperſtitionis exſtirpationem? Sed Regem Majeſtate ſua, Eccleſiam regimine ſpoliant. Hæ enim, non querelæ, ſed calumniæ veſtratium ſunt. Inſpicite Declarationes & fœderis tabulas, & vel iniquiſſimis ac invidiæ ſatisfactum erit. Nimirum Papiſtis & rebellibus Hibernis vos adjungetis. Illi Religionis veſtræ, illi propugnatores Libertatis erunt. Si hæc omnia mallent, quam Papiſtas, quam excidium, Parlamentum potius Religionis ac Libertatis, quam Digbium flagitioſæ Ducem ſervitutis ſequantur. Sed hæc fruſtra, apud ſurdas tum aures jactabantur, quæ à regiis, otium pro ſervitio appellantibus, honeſtamento pacis occupatæ erant. Multa ſeditionis ora voceſque; murmur incertum, atrox clamor & iterum quies. Inſolentius quoq; Parlamentum detrectare, & Uxbridgenſem conventum, tanquam haud ex fide & publico bono geſtum, criminari, clericis odia & indignationem, ſicubi langueſcere viderentur, Epiſcoporum, Liturgiæ, & rituum commiſeratione, tanquam flabello populari, excitantibus. Atque

heic pauliſper ingemiſcere liceat publicis malis. Non exaggerabo pluſquam civile bellum. Nihil eo miſerius. Triſte tota Inſula ſpectaculum. Infidæ euntibus viæ, domus vicique paſſim rapinis, furore, incendio afflicti; ſola denique caſtra in ſquallentibus campis fulgentia. Heic Rex, inde Parlamentum; & in medio dubii fluctuanteſque clavigeri tendunt: cum inſuper utrumque regnum, velut parum bello exhauſtum, laceraret peſtilentia. Sæva lues, ut non univerſam Britanniam, ſic plures ejus partes, denſis funeribus, & omni mortium genere, afflixit. Briſtolia, VVallingfordia, Abingtonum, Manceſtria, Pontefractum, & graviſſimè omnium Edinburgum languebant; ubi ex centenis vix duo treſve convaleſcebant; & interciderat ſortis humanæ commercium. Pars felicitatis, & raræ clementiæ ſignum, Londini ſalubrior adhuc aër. Nimirum affligere Deus, non perdere voluit. Quid enim ſpei reliquum, ſi peſtilentia veneno ſuo ipſam regni animam ſuffocaſſet?

XVI. Interea Fairfaxius Notio VViltonenſium deprædatore cæſo, cum quidem ex ſuis quadraginta Marlboroughæ à regiis Devizenſibus obruti eſſent, Maſſeio duo millia trahenti, Blanfordiæ junctus, per Dorſetiam contra Goringium contendit. Qui exercitu decem millium validus, & jam Tauntona ex parte poti-

potitus, videbatur obſidionem, vel prælio, ſi aliter non poſſet, defenſurus. Obſeſſos quoque, hinc fides, inde egeſtas, inter decus atque flagitium, diſtrahebant. Mox tamen, adventante Fairfaxio, pontibus paſſim qua tranſierant, abruptis, Grenvilius quidem Collingtona repulſus, cum cIↃIↃ equitum in Devoniam, Goringius Briſtoliam verſus ſe cum copiis receperunt. Sic iterum Tauntona obſidione liberata eſt, quam invictæ conſtantiæ exemplo, magna ſupra cæteras virtutes obſtinatione, bis ſuſtinuit. Toto obſidii tempore duo tantum tribuni ex oppidanis cecidere, Floydus & Richbellus, Hoſtium complures; & imprimis Iohannes Digbius, Kenelmi frater, letali vulnere accepto, paulo poſt extinctus eſt, magni inter regios nominis & partium fidus. Proculdubio ſcriptores, quibus hujus belli poſt nos exactior cura erit, eam cum Coventria, Gloceſtria, Lima, Plymmoutha, dignis tantæ virtuti verbis, commendabunt pariter ac mirabuntur. Quam ſolliciti omnes fuerint, ne tam fida civitas, exhauſto quicquid humanarum virium, fortitudinis ſuæ infelix præmium, crudelitatem hoſtis ſentiret, indicio lætitia publica fuit, qua omnes, cum liberatam innotuiſſet, non ſecus ac in maxima victoria, exultarunt. Nec parum animi Gloceſtriis acceſſit, tam vicino & potenti hoſte amoto, apud quos Barcleianum

caſtellum Arthuri Hazelriggii Legio obſidens, proſpero prælio erumpentem inde Carolum Lucam cohibuit.

XVII. Londini tum horrendus liber, Deum peccati authorem faciens, quam blaſphemiam Chriſtiana Eccleſia ſemper unanimi conſenſu abhorruit, à Synodo condemnatus fuit. Author ejus Joh. Archerus, quondam Londini, inde Arnhemi Paſtor, ſectæ Independentium, & aliorum quoque gravium errorum conſcius. Synodus re comperta, Parlamento ſignificavit; *quantum exinde periculum naſci poſſet, niſi publica authoritate malignum librum, maturè ſupprimerent.* A quo, cum deteſtatione blaſphemiarum, quas continet, damnatus, & manu carnificis crematus eſt, juſſis omnibus, ſi quæ exemplaria haberent, ea Prætori Londinenſi tradere. Synodus ipſa publice declaravit, quam ea execrabilis blaſphemia ſit, damnata omnium Chriſtianorum, veterum, recentium, Papiſtarum, Proteſtantium, communi conſenſu. *Neque verò vel obiter, vel imprudenter authorem ea tradere: ſed ex profeſſo docere:* Deum ita peccati authorem, ut non tantum actiones, ſed ipſam pravitatem, & vitium operetur, magis quam ipſi peccantes. Omne bonum creaturæ à peccato tanquam proxima cauſa fluere; ac fideles magis per peccatum, quam ullam aliam rem cœlo parari. Ac proinde neminem angi debere,

vel

vel ob peccatum, vel pœnas eorundem; intuitu authoris qui Deus ſit; & bonorum exinde naſcentium occaſione. *Hæc & alia, quæ non abſque horrore legi poßint, illo blaſphemo libro contineri, qui etiam Orthodoxos reprehendat*, quod Deum peccata tantum permittere, ordinare, dirigere ad finem, producere actiones naturales & morales, in quibus peccata ſunt, concedant. Quæ cum immania ſint, cunctos monere, *ut toto pectore tam blaſphemam doctrinam deteſtantes, cum Reformatis omnibus Eccleſiis, Diabolum & ipſos homines unicam peccati cauſam & authores, confiteantur. Ipſum vero Deum, ſicut ſanctißimus ſit, ita peccatum nec efficere, nec approbare; ſed odiſſe, ac graviter in peccantibus punire.* Et ut Parlamentum in mediis bellis ſacram eruditionem ſibi curæ eſſe oſtenderet, data V. C. Patricio Junio facultas, vetuſtiſſimum & pretioſiſſimum exemplar LXX Interpretum, manu Teclæ, ut ferunt, ſcriptum, publicandi. Quod ubi prodierit, inter alia hujus magni Parlamenti opera, apud poſteros meritò celebrabitur. Illis etiam, qui primo ac quarto Caroli anno, propter libertatis & Religionis defenſionem, gravia damna paſſi fuerant, aliqua ex delinquentium bonis compenſatio facta eſt, ut omnes ad pericula pro Republica ſuſcipienda, impoſterum quoque animarentur.

XVIII. Go-

XVIII. Goringius, deſerta Ilcheſtra, & pontibus inter Evillam ac Bridgvvateram abruptis, cum IV CIƆ peditum, V CIƆ equitibus, Langportum Somerſetiæ petiit, Cambrica auxilia, quæ Sabrinam ad Mineheadum trajiciebant, recepturus. Sed jam Fairfaxius & Maſſejus, diviſis copiis, hic circa Ilmeſtram, ille apud Suttonam, fluvio Parreta intercedente, prælium urgebant. Idem rurſus numen, eadem fata fuerunt. Variatum præliis, ſed uno longe Fairfaxianis proſperrimo, quo graviter impulſi ſunt Regii milites. Victoriæ initium à Maſſeio factum, qui inter Ilmeſtram & Aberſoilam CIƆ IƆ regios profligavit, ſex centurionibus, præter ducentos minorum Ordinum ductores, ac gregarios milites, novem hoſtium vexillis potitus. Clara hæc in præſens victoria, impoſterum uſui, miſſæque ad Maſſeium Montacutii, Pickeringii & aliorum Legiones. Quod ſicut vires imminuit, ita multum quoque ad victoriam contulit, hoſte contemtu numeri, aciem auſo. Sequente luce Fairfaxius Parreta ad Evillam ſuperata ipſum Goringium aggreſſus eſt. Qui disjectis pontibus, Ilceſtra combuſta, impedimentis & tormentis Bridgevvateram præmiſſis, inter Langportum & Sumertonam ſubſiſtebat, loci natura tutus. Anguſta inter utrumque exercitum via, vix quatuor equitum capax, ac inſuper ſtagnantibus aquis impedita. Dein

paulo

paulo latior campus, inde colles aſſurgebant. Ad latera & extremum ambitum utrimque ſepes, ex quibus Goringiani, diſpoſitis ſclopetariis, equitem Fairfaxii interea refellerent, dum cæteri, ſigno receptui dato, ut pro fuga ſpecies eſſet militaris obſequii, abducerentur. Sed ille priuſquam inter ſe gentium robora coirent, gnarus Grenvilium intra biduum cum ſex millenis expectari, nihil cunctandum ratus, pugnare in hoſtem conſtituit. Igitur pulſis haud difficulter qui ſepimenta tenebant, evehi equites, campumque quem hoſtis inſederat, inter tormentorum fulmina eripi jubet. Duæ turmæ periculum hoc ſibi depoſcunt. Quarum unam Deſboroughius, Bethelius alteram, vir pugnax & ſui ſemper impavidus, duxit. Is impreſſione iterato facta, tandem numero hoſtium abundante, quorum amplius milleni erant, aliquantulum retroceſſit. Donec indignantium, poſt Nazebin creviſſe bellum, acrior impetus fit, & enitentibus in collem pluribus, Goringiani pedites præ deſperatione armis abjectis, & Langporto ſuccenſo, cum omni equitatu, effuſa fuga, Bridgevvateram contendunt, unde paulo ante Princeps Carolus, cum Hoptono & Culpepero, Barnſtabliam ſe receperat. Auditumque fuit ex Imperatore: *nunquam ſe alacriorem pugnam vidiſſe, quam cum Bethelium inter & Goringium certaretur.* Cromvvellus per medias Langporti flam-

flammas, Bridgevvateram uſq; inſecutus, quanquam fugientibus lõge inferior, quindecim turmas equitum, & peditum bis mille, per patentes Somerſetiæ campos, toto cæcidit Parreto, captis plurimis, inter quos Slingſbyus tormentorum Magiſter, tres tribuni, octodecim ſigniferi, ſedecim equeſtria, octo pedeſtria vexilla; duo tormenta, & gregariorum ultra mille ducenti. Multi curſu exanimes procumbebant in terram, mox fœde inſequentium equorum ungulis obtriti. Ex Fairfaxianis vix viginti milites ceciderunt; nemo majoris notæ; niſi quod Bethelii manus dextra plumbo perforata fuit. Nec Bridgevvatera, quanquam & natura loci, & arte munitiſſima, diu victoris impetum ſuſtinuit. Nam pulſis toto campo Goringianis, dubitatum aliquandiu fuit, Bridgevvatera petenda eſſet, an tumultuantes Provinciales, oppoſitis armis coërcendi. Satius viſum urbẽ Occidentis fortiſſimam petere. Igitur eò exercitu ducto VVeldenus ſeptentrionalia Devoniam verſus curare juſſus eſt; cæteri Chedſayæ ad auſtralem partem ſubſtitere. Ibi urbs tota in conſpectu fuit, prout in planitie ſita erat, nullis in propinquo collibus, alte munitionibus ſuis, velut regina circumjacentium locorum, eminens, latiſſima foſſa, & quam æſtus vicini maris, ſtato tempore, uſque ad ſummitatem, aquis ſuis implebat. Præſidium intus, pro loci amplitudine, validum, cIↃ IↃ ccc,
cum

cum XL tormentis & commeatu ad diuturnam obſidionem inſtructa. Capto per Okeyum Burrougho (quæ inter Tauntonam & Bridgewvateram firma munitio) in caſtris deliberatum, urbs tanta impetu, an obſidione capienda eſſet. Quod ſi hoc ageretur, tum gravis à Goringio metus, ne is, occupato circa urbem milite, collectis copiis, bellum inſtauraret. Partem exercitus ibi relinquere, longum opus & difficile, præſertim ſi vehementior pluvia caderet. Igitur urbem corona capere placuit, quod jacturam & pericula in præſens, celeritas rerumque agendarum moles compenſaret. Promtus ad id, moræ impatiens, miles. Diſtributæ legiones, & forte lecti qui primo, & quo loco quiſque, invaderent. Confecti celeriter octo longi pontes, quibus foſſæ ſuperarentur. Ita inſtructis omnibus, ſummo mane, tribus diſploſis tormenis, quod ſignum erat, urbs undique oppugnari cæpta. Primo impetu, qui acerrimus fuit, ſuburbium ad alteram Parreti ripam, cum IↃC præſidiariis captum. Regii amiſſa ea parte, reliqua infenſi tutabantur. Pugnatum utrimque maxima vi; donec immiſſis ex urbe ignibus, cunctæ domus conflagrarent. Fairfaxiani, incendium nihil morati, inſtare obſeſſis, ſua tutari, reliqua oppugnare. Cumque deditionem oppidani præfracte abnuerent, Imperator fæminas liberoſque excedere juſſit; niſi perire

perire mallent. *Sibi, ut vis in obſtinatos decreta ſit; ita innocentium miſerationem eſſe.* Quibus emiſſis, flammantes globi in urbem tormentis librati, ut multis ſimul locis incendium oriretur. Quod ventus tum forte intenſior auxit. Jamque intus cuncti trepidare, cum Thomas Elliotus à præfecto mittitur, qui de conditionibus ageret. Iuſſi gratiam victorum expectare. Ita in urbem remiſſus Elliotus, moxque reverſus, vitam præſidio, oppidanis libertatem impetravit. Quod cum obſeſſis graviſſimum videretur, miles ad invaſionem ſe paravit. Cujus luctuoſum eventum veriti regii, conditiones datis obſidibus, amplectuntur. Altero mane, urbe egreſſi militum fere CIↃ, captivitatem, ut pactum erat, ſubierunt. Sic clauſtrum Occidentis firmiſſimum, incredibili audacia captum; junctuſque continuis præſidiis per Tauntonam, Langportum & Limam, cum auſtrali mari, Sabrina; ac concluſus intra Devoniam & Cornubiam Goringius, ne auxilia vel recipere vel emittere poſſet. Præfecturam Maſſejus ſuſcepit, eique cum firmis copiis illæ partes commiſſæ, Skipponi Legione apud Langportam ſubſiſtente. Inter milites magna pecuniæ ſumma diſtributa; ut præclare factis ſuis præmia non defore ſcirent. Chidiakhouſam quoque Limenſibus & toti Provinciæ infeſtam, Ceelius expugnavit; & Fairfaxius diſtributo in aliquot

partes

partes exercitu, unam ad Sherbornæ obſidium, alteram Bathoniam & in eas Somerſetiæ partes quæ Briſtoliæ imminent, deſtinavit: cum reliquis copiis, conſtituta Bridgevvatera, Crookhorniam ac inde longius in Occidentem contra Goringium contendit, Barſtabliæ, Bradfordiæ, Torringtonæ ſtativa habentem.

XIX. Hæc altera inſignis clades, Regem, tum fere, ut fama tulit, ad Blackrockam interceptum, denuo graviter afflixit, cui nondum firmus ad manum exercitus; & jam Scoti, jam Fairfaxius, cum proxima quæque victoria ſequentis inſtrumentum eſſet, imminebant. Nihil in Occidente non dubium & obſidioni ceſſurum. Quæ, ut ſaltem diutius victores ſuſtinerent, Briſtolia, Exonium, Vigornia, & aliæ munitiones, novis operibus & validis præſidiis firmatæ. Juſſi Hoptonus, Grenvilius, VVentvvorthius, ducto ſecum ad milites animandos Principe, delectus in Cornubia maturare; cum Goringius fractas ac languidas copias per Devoniam traheret. Et ne ſolus Occidens oppida ac victorias luderet, tantis hactenus impenſis, & in vanum oppugnata caſtella, Pontefractum ac Scarborougha, ſimul Parlamento conceſſerunt, transfuga Cholmleio abitionem tutam, in exteras regiones, pacto. Defecerant alimenta, nec ſpes erat à Rege auxilii. Ut in Eboraco præter Skiptonam, Boltonum & Sandaliam, ſimul à

Poynzio obſidione cincta caſtella, nihil jam regiis ſupereſſet. Pontefracti præfectura Fairfaxio commiſſa, quam per Legatum ſuum adminiſtraret.

XX. Ex tanto ſucceſſu, cum victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum videretur, mirum non eſt animos populi, ſpe haud quaquam inani, de bello breviter finiendo, impletum; & promtos poſt eventum ac magniloquos fuiſſe. Atque ideo inſtandum cœptis, regios undique invadendos, fremere; *Irent ultores, exſcinderent ſedem belli, ob proſpera & rebus ſupra votum fluentibus, indefeſſi. Penetrandam Cambriam, inveniendumque tandem terminum continuo victoriarum curſu. Nam dum hinc Fairfaxius, inde Scoti inſtent, cur non Bazingam Surrei, Suſſexii, Hamptonii: Oxonium Londinenſes, Bercerii, Buckinghamii: Nevvarkam Eaſt-Angli, & qui Trentam accolunt, exſcindant? Quippe ſub illis munitionibus tremere circum Provincias. Iſtinc recipi, iſtinc effundi armatos. Nec ferendum, ut toto campo victoribus, præſidia aliquot inſultent, quæ haud magnis copiis, vel coërceri, vel quod potius ſit, expugnari mora queant & impetu.* Acuebat animos, quod tum Nevvarkii VVelbecam Nottinghamiæ; & in Lincolnia Tockſcihouſam occupaſſent; & illa præſidio firmata, hanc combuſta ipſi Cantabrigiæ minarentur, cujus munitiones ob metum refectæ ſunt, firmataque Academicis privilegia ſua & antiquæ immunitates.

XXI.

XXI. Sic ingens belli moles in Occidentem & Cambriam incubuit. Nam Scoti, quanquam Montroſius Bailium profligaſſet, & mira de ejus ſucceſſibus jactarentur Oxonii, à Levenio circa Bevvdlyam flumen Sabrinam traducti; & Canon Frooma, præſidio cæſo, capta, ipſam Herfordiam, à Scudamorio Præfecto in vanum deditione poſtulata, obſederunt, cum regii, hinc inde per montana ſub Gerardo diſperſi, pugnæ copiam nunquam facerent. Adjunctique iis, rebus coram inſpiciendis, à Parlamento, Stamfordius, Montacutius; & ex communi quatuor. Cumque Guilhelmus Flemingius, regiarum partium, neſcio quæ ſecreta ſe Levenio & Calendrio communicaturum jactaret, ad Parlamentum ab iis, ſummo hanc conſtantiam probantium applauſu, rejectus eſt. Nam fidem, per colloquia & promiſſa, tentari. Eſt autem Herfordiæ ſitus inter VVigornios & Monmouthios ab Oriente & Auſtro. Septentrionem Salopii reſpiciunt; atque inde ad occaſum latè omnis Cambria prætexitur. Cui retinendæ, cum vires non ſufficerent, ſparſum à regiis; *Cambriam Scotis à Parlamento, & omnia ejus gentis bona, donata; nec ad bellum, ſed prædam & poſſeſſionem accitos.* Quæ facile credita, partes eas obſtinavêre; cum ſe lati auxilii redhoſtimentum fore metuerent. Et ad delectus ibi impediendos, ac ne in Angliam pergerent,

Pembrocia novo I ɔ præſidio confirmata eſt; interceptis quoque à Svvanleio XXVI ſcaphis in Sabrina, quæ militi regio tranſportando, deſtinabantur.

XXII. Fairfaxius diu anceps, in Occidentem longius progrederetur, an comprimendi primo tumultuantes eſſent, tandem Goringium inſecutus eſt, relictis quæ Sherbonenſibus & Briſtoliis ex propinquo imminerent, copiis quibuſdam. Jamque Martockam ventum erat, cum cuncta à tergo inimica, & poſt cladem quoque formidabilem Goringium veritus, reducere VVellesiam copias cœpit. Acris ea tempeſtate calor agros adurebat; atque hinc gravis militi continua profectio. Miſſus tamen cum ſelecta manu Pickeringius, qui Sherbornam tentaret: Richio Bathonia commendata. Is commoda locorum, qua capi urbs illa poſſet, ſpeculatus, militem, jam in veſperam declinante die, per ſublicium pontem, ad mœnia portamque ſummo ſilentio reptare jubet. Illo facto, cum regii, tumultu concitato, arma corriperent, & per patentia foramina in hoſtem expedirent, Fairfaxiani ſub ipſa porta latentes, ut prominebant, prehendere, ſimulque inclamare; *deditionem facerent.* Illi rei novitate perterriti, relictis armis, ad munitionem proximam fugere; qui extra erant, portam flammare, ac potiri ponte. Quod regiis ſpem ademit: ſecutaque ſtatim

ſtatim deditio. Capti ex gregariis c x l; Ordinum ductores, quo ire vellent, dimiſſi. Hic caſus Bathoniam ſubegit; non invalidam urbem, & ſi aliquantulum ſe obſtinaſſet; jam auxilia ſub Ruperto c I ɔ I ɔ equitum peditumque ad quartum lapidem appropinquarant. Imperator, ad nuncium captæ urbis, ipſe cum duabus legionibus advenit; quæ pro præſidio, continendis Briſtoliis, relictæ. Mox Sherbornam cum exercitu contendit munitiſſimum caſtellum, in extrema Somerſetia, qua Dorſetios reſpicit, ſitum; & Briſtolii ſedem, petiit. Nam eo loco potiri, propter tumultuantes clavigeros, antequam majori operi accingerentur, laboris pretium erat. Quos poſtea tanto receptu nudatos, haud difficile Regiis partibus, vi metuque abſtrahere. Eo patrato, nihil Regi in Britannia favorabile: cuncta præter fractas Goringii copias, & Hiberniam, adverſa. Ubi rebelles, Liſmora, & aliis inermibus caſtellis potiti, Youghallam quoque obſidio premebant; crudeli cæde, quod ex Proteſtantibus reſiduum, indies attenuantes. Eratque ingens metus, ne totam brevi Momoniam expugnarent; atque confecto ibi bello in Angliam vires converterent. Quo periculo, proſper ſucceſſus, qui præter ſpem evenerat, anxias mentes exolvit. Nam cum pleraſque copias ſuas, ad obſidendum Youghallam rebelles contraxiſſent, Carolus

Cootius, vir magna virtute, & pari fortuna, rapto in Connachiam milite, Slegonem, præcipuum ejus partis & Proteſtantium cædibus infame munimentum, cæſo quingentorum præſidio, cum ſex aliis caſtellis expugnat, magna undique præda abacta. Ingens hæc clades; & magna inde conſternatio; excitumque ſecundis rebus Parlamentum, ut auxilia maturaret. Facto Senatuſconſulto, CIↃCC in Nazebiana pugna capti, cum bello nomina ſua ſpontè dediſſent, Southamptoniam, inde in Hiberniam mittuntur, vexandis rebellibus, ne auxilia Regi ferrent. Quippe is poſt magnam ad Nazebin cladem, Ormondium continuis literis ſollicitare; *pacem, vel inducias, cum Hibernis Catholicis, feſtinaret. Quod ſi fruſtra ſit, neglecto illo regno, cum omnibus armis, & quantam cogere poſſit, militum manu, in Angliam trajiciat.* Largus promiſſis, & quæ natura trepidantium eſt, immodicus, honores ingeſſit. *Quod ſi fors cuncta deſtituat, ſaltem in bona cauſa, nobili ad poſteritatem morte functuros.* Parum in his momenti; & Epiſcopale bellum, quanta cœptum fuerat jactantia virium, tam nunc gravibus vulneribus contuſum, languebat. Una in pace ſalus, quam obſtinata prærogativæ & Epiſcoporum defenſio corrumpebat; perſuadentibus, Briſtolio, Cottingtono, Digbio, infra dignitatem fore, ſi Uxbridgenſes conditiones remitteret. Parlamentum

mentum vero bona conſcientia ſe illas accipere non poſſe dicebat, niſi & ſe ac regnum imagine pacis, & gravioribus tum ac impoſterum malis, decipere vellet. Quod ne fieret, viſum fuit conditiones ad Regem expedire quas conſenſu ſuo approbaret, ſine ulteriori per Legatos diſceptatione. Ac quoniam Saltmarſhius Independens miniſter, homo procacis & immodicæ linguæ, quædam in vilipendium Regis manifeſtum evulgarat, adeo ut nec ignoſcendis vitiis parceret, Proceres ſerio caſtigavere, & ſi pergeret, graviora minati ſunt.

XXIII. Jam decem millia clavigerorum, audax ante pericula manus & ſegnis numerus, confluxerant, inſolentius ſe gerentes, quam ut diutius tolerari poſſent. Tranſiverat exemplum ad Oxonios & Bercerios, quorum duo millia Blevvberiæ, ejuſdem cum Occidentalibus ingenii, coiverunt. Nec dubitatum quin pro hoſtibus habendi eſſent, qui & Tauntonæ libertatem ſuam inviderant, & quos Fairfaxio, ſi Exonium & in Devoniam iret, à tergo inſidiatos, conſtabat. Atque inſuper magna ferocia jactabant, Sherbornæ, ſub Hoptoni Ducatu, ſe obſidionem ſoluturos. Igitur, conſumtis precibus, vim adhibere furentibus viſum. Shaftſburiæ Dorſetii, VViltonii, Somerſetii conventum indixerant. Eo cum parte copiarum Fleetvvoodus miſſus, ad terrorem, & ut eadem mo-

lientes diſjicerentur. Urbs equite cincta; nec illi vim opponere auſi. Igitur quinquaginta ex primoribus capti, Hollis, Careyus, Youngius, Cradockus, Gougius, aliique: & Londinum, audiendis motuum cauſis, miſſi. Quod cum acriores cæteris iras concitaſſet; novaque coitione facta, majorem vim, tanquam Duces ſuos liberaturi, molirentur, Cromvvellus contra eos miſſus eſt. Qui in monte quodam ſignis tumentium conſpectis, quanquam ſpiſſæ arbores, & editior locus difficillimam invaſionem facerent, miſit qui pacem amicitiamve exquirerent. Tum deſcendere Nevvmannus quidam, & ut audacior venerat, ſuperbus exquirere ſociorum captivitatem, vimque lamentari. Cui Legatus; *Suum non eſſe rationes facti reddere. Nam juſſa Senatus adeſſe; & meminiſſent motuum, quibus Provincia excitæ.* Ille primo tergiverſari; denique iturum cum hoc reſponſo ad tribules dixit. *Sequar ergo,* Legatus regeſſit: ſimulque montem, paucis comitantibus, adſcendit. Ubi ad turbam ventum; *Non hæc,* inquit, *promta ratio eſt, qua injuriam à veſtris defendatis. Quod Shaftsburim prætendunt nonnulli; ad leges provocamus: quibus ſi excuſari poſſunt, quos in poteſtatem redegimus, utique ſatisfactum deſiderio eſt. Arma veſtra domi, quam in campo, feliciora ſunt; & abeuntibus incolumitas præſto eſt.* Hæc ultima mentes penetrarunt; & quiſque ad ſua ſe recepit. Alibi major indi-

indignatio. Quippe quatuor millia, in Hable-tonenſem montem apud Shravvtonam ſeceſſione facta, altius indignabantur. Eo ubi ventum, miles in armatum ad ima montis incidit *quorſum tenderet*, ſciſcitari. Ille, *quid ad ipſos:* ſimulque arma expedire. Præventus capitur; & ſuorum conſilia aperit. Igitur montem oppugnare conſtitutum, cum nihil moderati reſponderent, inhibente quodam Bravello, Comptonenſi Miniſtro, qui necem minitabatur, ſi quis arma poneret. Non poterat miles clivum abſque damno eniti, quod tumultuantes poſt vetera Romanorum munimenta latentes, cuncta loca infeſtarent. Donec Deſboroughius, circuitu capto, viam aperiret; & tum fuga cœpit, per præcipitia montis. Aliqui cæſi, c c c c capti, & Shravvtonam ducti. Duodecim quoque vexilla in poteſtatem venerant, quorum uni inſcriptum: *Si pecora noſtra abigatis, hæc arma contra vos erunt.* Tum in authores inquiſitum; & culpa in ſeditioſos miniſtros rejecta, à quibus ſe deceptos plerique ex captivis aſſeverabant. Ita, cum promiſiſſent quietos ſe fore, in omnes venia data. Nec promiſcuam multitudinem cædere placuit, amotis principibus nihil auſuram; & plerique conſenſu gentis in bellum tracti, exemplo potius quam ingenio peccarant, nec ſervati in Reipublicæ periculum, nec interemti in exemplum ituri. Sic paulatim con-

ſedit tumultus, ut omnia inconſulti impetus cœpta initiis valida, ſpatio langueſcunt. Contuſis Provincialibus, copiæ ad exercitum Sherbornam reductæ ſunt. Quæ obſidio acris fuit & vehemens, cum obſeſſi contra impetum, naturam loci fere inexpugnabilem, & parem obſtinationem opponerent. Non abſque clade ad primas munitiones perventum eſt, ſummaque vi nitebantur regii, ut ſua tutarentur. Et quanquam impetus non ſemel placeret; prævaluit periculum anceps, atque cuniculos agere, mœnia tormentis convellere, potius viſum. Dies noctesque in eo opere continuatum; & quanquam ignibus dejectis inflammare pontes ac propellere foſſores obſeſſi conarentur, uſque ad fundamenta caſtelli, ſubtus terram, perruptis ſaxis, penetrarunt. Interea turres, ac quicquid firmum intus, & unde plurimum in caſtris damni, dejectum eſt. Contra præfectus, deditionem cum indignatione, minisq;, ſi quis eam repeteret, abnuere; ac ne quicquam labi videretur, uxorem, cui excedendi facultas indulta, ſecum, periculi gloriæque ad poſteros ſociam, retinere; vitam ipſam, præ fide, & militari audacia, ſuſq; deque habere. Quod non pauci criminantur, cum extrema nullis viribus, ſponte ſubire, non fortitudinis, ſed temeritatis ſit. Eo acrius inſtare Fairfaxius; jamque duæ turres, ex quibus plures in oppugnatione occiſi, impetu captæ,

captæ, exteriorque munitio tota in poteſtate erat, mileſque ad invaſionem, faſcibus ſuis, quibus foſſæ explerentur, inſtructus; cum obſeſſi, deſperata ulteriori loci defenſione, amotis ſanguineis vexillis, alba protendere, & gratiam implorare cœperunt. Quod dum trepidanter intus fit, nemine auſo vim opponere, ingreſſus miles, caſtellum capit. Regii arma abjicere; vitam precari, & dum prædæ quam ſanguinis avidiores ſunt, impetrare. CCCC capti, ex quibus præcipui Ludovicus Dyves præfectus, Ægydius Strangevvayus, Thornhillus, VValcottus, tribuni. Intus XVIII tormenta reperta, cum divite præda. Conſumpta dies in ſpoliis congerendis: mileſque capta munitiſſima arce, nullam impoſterum urbem ſibi tota Britannia inacceſſam putabat.

XXIV. Sic Dorſetia, VViltonia, Somerſetia & contiguæ Provinciæ, magno terrore liberatæ; & clavigeris ſpes ademta, quam in hoc receptu collocarant. Ut Regis in Occidente valida hactenus & invicta præſidia, magis ac magis in arctum redigerentur, nullo inſuper exercitu victores ſiſtente. Quanquam Princeps delectu Launceſtoni habito, V CIↃ recenſuiſſet; & major Goringio numerus eſſet. Sed nec ille ultra CIↃ IↃ Cornubia educere poterat, & Goringius Devonios premere, quam pugnare maluit; apud quem inſuper omnia, priva-

privatis inter ipſum & Barclaium æmulationibus, feſſa. Tivertonam c c c, Darthmoutham ac Barnſtablium I ɔ c c c, & ultra c I ɔ Exonium cum Præſidio tenebant. Externorum auxiliorum ſpes tenuis. Galli, quanquam eos Regina aſſiduè ſollicitaret, moras nectere, illudere; denique ſua bella prætexebant. Ac certum erat non facilè Anglicis turbis ſe mixturos. Tum quod Parlamentum Oceano dominaretur; tum quod illi cauſæ Hugonotas, uti vocantur, addictos non ignorarent. Unde facilis ad commovendam Galliam via, jam ante gravibus malis laborantem, & indies aſperior ſervitus populum ad novas res, ſi extera accederent, facilè impulſura.

X X V. Rex interea Cardiffæ ſubſiſtens per Cambriam delectus agebat, & cum Clamorgani pedites I ɔ, equites centum adducerentur, quidam Smithius in medium proceſſit; & *quo ruimus*, inquit? *Nempe à tergo relinquetur Cardiffenſis præfectus, qui minatus eſt ſe bona noſtra invaſurum? Quæ enim hactenus non ſuſtinuimus? Si mihi creditis, noſtra tueri ſatius erit, quam deſerere.* Hac Oratione inflammati omnes, fremitu teſtantur non ſe Provincia egreſſuros. Fit populi concurſus, & una die amplius v c I ɔ confluunt. Rex ad eos progrediens, rogat *quæ cauſa facti?* Reſpondent; *ad conſervandam Provinciam.* Idem & ſe velle teſtatur;

& num

& num quid præterea? Tum illi: *Papiſtæ Provincia, Angli Cardiffa cedant, ſeptem millia librarum, quæ Gerardus poſtulat, remittantur.* Rex promittit ſatisfactionem. Ad quæ verba quidam: *Non quicquid*, inquit, *nobis tuo nomine, Rex, promiſſum; idem & factum eſt. Sub magno ſigillo*, IↃ CCC *libræ in menſem exiguntur. Gerardus, ſub ſua manu*, CIↃIↃC *exigit.* Sic Rex, æger animo, Cardiffa diſceſſit. Ipſi miſſis decem nobilibus, decem ex plebe, tandem in hæc conſentiunt: *Vt Timotheus Tirrel Cardiffa præſidium abducat. Contra ſe Regi* CIↃ *viros &* IↃCCC *libras daturos*. Statim ſub Richardo Baſſeto præſidium Cambricum Cardiffæ imponitur, præfecto in Gerardi locum Cambriæ univerſæ, Iacobo Aſhlcio.

XXVI. Rex Brechinia Bridgenortham, atque hinc, ne una mole bellum ingrueret, diſtrahendo hoſti, & excitaturus partium fortunam, cum ter CIↃ equitum, ductoribus Gerardo & Langdalio, per Ludloviam & Lichfieldam, ſubito Nevvarkam, & in Septentrionem contendit. Quod novam Parlamento ſollicitudinem injecit. Nonnulli de Scotis conqueri, quaſi haud ſatis provide Regis motus obſervaſſent. Sed quomodo ipſi Herfordiam obſidentes, Cambriæ omnia ad Septentrionem clauſtra, erumpentibus præcludere potuerunt? Atque haud dubium Septentrioni & Eaſt-Anglis

glis periculum imminebat; quanquam etiamnum incertum eſſet, hoſne, an Scotiam, & ibi Montroſium victorem, ſibi deſtinaret. Omne in maturatis auxiliis momentum ſitum. Quæ undique à Derbiis, Northamptoniis, Eboracenſibus, Eaſt-Anglis, contracta ſunt. Scoti de ſuo regno ſolliciti, ſub Davide Leſleio, IV cIↃ equitum, qui Regem inſequerentur, miſerunt, cæteris, obſtinato ad omnes deditionis conditiones Scudamorio, Herfordiæ obſidium urgentibus. Ubi miles magis cum omnium rerum inopia, quam cum hoſtibus conflictabatur. Unde morbi ex eſu agreſtium frugum, languor & querelæ: *Pugnatum ſe contra homines, non famem veniſſe. Cur enim in fertiliſſima regione eſuriant? Præſertim bello ad finem ſpectante, & promtis ad manum ſubſidiis. Alios exercitus commeatu abundare: nec ex invidia ſe loqui. Sed cur ipſi potiſſimum deſerantur?* Hæc in majus aucta ſunt, ut Angli, quos ſociorum calamitas graviſſime, & ultra aliarum gentium ingenia, movet, promtius pecuniam & commeatus ſubmitterent. Quanquam Levenius poſtea conqueſtus ſit; *annonam militi & tormenta haudquaquam in tempore, & ut convenerat, ſuppeditata. Promiſſas in ſingulos dies ducentas libras; ne teruncium quidem ſolutum. Stipendia non niſi in menſem unum, cum ſex reſtent. Gloceſtria tribus exiguis tormentis advectis, ferreos globos deſuiſſe, & eos demum, magna*
tem-

temporis jactura, parandos. Nihilominus obſidio continuata, quod ſpes certa eſſet, amoto inſuper Rege, Cambriam facilius in partes tranſituram. In quem finem deſtinatæ ad illam gentem literæ, una cum ſecretis in Nazebiano prælio interceptis. Monmouthii, Glamorgani, Mongomerii, conterminæ gentes, miſſis ad Scotos nunciis ſignificarunt; arma ſe pro Parlamento capturos. Idque inceptum juvit clades regiorum, quam Laughornius, cæſis fere CCCC, inflixit. Quanquam in univerſum vana illa calumnia regiorum, Scotis Cambriam datam, nondum exemta eſſet. Miſſi ad obſeſſos Herfordios Legati, qui deditionem ſuaderent, aliud nihil impetrarunt; quam urbem ſe, quamdiu vita & ſpiritus duret, defenſuros. Rolandus Scudamorius, præfecto cognatus, unus Legatorum, cum urbe egrederetur, perfide trajectus glande, periit; & altera die poſt, Crafordius, dum erumpentem hoſtem repellere audacius nititur, eodem fato occubuit, vir impiger, audax & bellandi peritus, quemq; toties aperto campo, victus victorve hoſtis non abſtulit, eum ignobile plumbum tot fortiſſimis animis ante Herfordiam adjecit.

XXVII. Nevvarkæ regis copiæ ter mille equitibus, auctæ ſunt. Unde Poynzius Eboracenſium præfectus, vir maximi ad bella impetus, Skiptoni, Sandaliæ, Boltoni obſidione ſoluta,

luta, Roſſiterum, qui jam cum II cIↄ equitibus Axholmiam venerat, & Johannem Gellium evocavit, ductis Rotheram, Doncaſtrum & Brothentonam copiis. Ibi XI cIↄ equitum luſtrata ſunt. Pedites Eboracum miſſi, quod rumor increbeſceret, quoſdam eam urbem Regi, ſi adventaret, tradituros. Sed in exercitu non levis, ob detenta ſtipendia, ſeditio exarſit, & metuebatur, ne imperia, cum maxime opus, detrectarent. Interea Scoticus Equitatus, IV cIↄ Staffordiis à Derbiis junctus, Regem acriter perſequebatur, facto in poſtremos impetu, ubi circiter LX cæſi ſunt. Et Rex undique coëuntibus Poynzii, Gellii, Roſſiteri, Scotorum & Provincialium copiis, Tickhillæ, caſtello, fruſtra tentato, anxius ſui, per Gheſterfieldam & Mansfieldam, VVelbecum contendit, ſi qua ad Montroſium perrumpere poſſet. Scire intereſt quis tum Scotiæ ſtatus fuerit, & à quo vento tanta tempeſtas excita. Nam regiis ſpes cunctæ in Montroſio ſitæ erant, adeò pervicaciter vires cum eo jungere nitebantur. Atque hæc poſteris exemplo ſint, quam ſubitò regnorum ſtatus everti, & iterum reſtitui poſſit. Scotiam non toto menſe amiſſam, receptam, victam, victricem, orbis impoſterum mirabitur; ea numinis in illam gentem, ira ſimul, ac mox clementia fuit.

XXVIII. Montroſius Oglebiorum & Gor-

Gordoniorum auxiliis receptis, cum diu multumque eluderet ſaltu, viis, latebris; tandem ex montibus ſuis ferocem militem, languentibus fœda lue Provinciis, Glaſcovia capta, immiſit. Non tamen amplius tria millia juſtæ armaturæ pedites erant: & facilè contemta manus profligari potuiſſet, niſi tum omnia in ejus regni perniciem conſpiraſſent. A Baylio & Urrio improſpere aliquoties pugnatum, & illi ſe abdicare militia, vocato ex Hibernia Monroio, jubebantur. Retenti tamen, fatis urgentibus, ut ultimam hanc cladem, ſupra omnes priores immanem, adjicerent. Convenerat inter Regem & Montroſium, ut eodem tempore, hic ex Auſtro in Septentrionem, ille in occurſum ejus, ex Septentrione in Auſtrum moveret. Nam conjunctis copiis haud dubiè duûm inſtar exercituum effecturi erant, Rege equitem, Montroſio pedites ſuppeditante. Igitur dum Rex omnes in Scotiam aditus, & fruſtra rimatur, Montroſius promiſſi memor, in Auſtralem Scotiam erumpit. Et felicius quam vel ſperare poterat, hæc auſa ſucceſſerunt. Nam dum Scoti continuis pugnis, & ipſa peſte attritas copias, Provincialium delectibus augent, jamque nimium confiſi numero, avidius quam conſultius immanes Highlandos perſequuntur, in medias lapſi inſidias, internecione occumbunt.

XXIX. Locus erat Kilſitham propè, arctis

faucibus, hinc per prærupta rupium, & à tergo ſilvis clauſus, ſubter quas tumuli fruticum dumorumque caligine, velut ad inſidias ſurgebant. Medio montium, ut cedunt illi aut reſiſtunt, inæqualiter ſinuata planicies, quę tenuem aciem pateretur. Eam immani ſpe ferox Montroſius inſedit, excepturus ſubito prælio, turbatos adhuc & neſcios inſidiarum. Et favit cœpto Deus, Scotiæ peccatis iratior. Caſtigare eam gentem voluit, paulo poſt præſentiſſimæ ruinæ, non uno miraculo eripiendam. Nam ut anguſtias, ſolicitudinem ac tacentes locos ingreſſi ſunt, hoſtes, donec agmen ſe in formidabiles inſidias porrigeret, immoti, dein latera, frontem, noviſſimos tota vi incurrere. Igitur ante pugnari undique cœptum eſt, quam ſe miles recipere, vel prælio inſtruere poſſet. Adeo cuncti incuria disjecti erant, nec belli timor. Erumpentes in turbatos tota mole Montroſiani latam ſtragem faciunt, cum receſſum primis ultimi non darent. Una Legio aliquandiu, quanquam rebus trepidis, arma ordineſque retinuit, & ultra vires fortis reſtitit. Nihil medii inter utroſque. Obſtabant corporibus corpora, telum telo frangebatur. In tam arctis rebus, aut cadere aut vincere ſupererat. Donec numero obruta à barbaris omnis concideretur. Equites, quorum exigua manus, inter primos tumultus, confuſa fuga, ſuum ipſi peditem obterere. Nihil illo certa-

certamine crudelius, & latrocinio magis quam prælio ſimile. Confuſa late ſigna; non frons, non terga acici, non latera aut cornua erant, & undique cædes. Tum grande & atrox ſpectaculum, ſequi, vulnerare, capere, atque eoſdem, aliis oblatis, obtruncare. Nullius vitæ parſit immaniſſimus hoſtis, Duce, inſiſterent cædibus, nihil opus captivis, fremente. Jacebant cadavera, ut fugerant, ut reſtiterant, diſperſa paſſim aut aggerata; & loci iniquitate circumventarum Legionum internecio facta eſt, cum ne pugnandi quidem occaſio oblata eſſet. Millia quinque trucidata, nec ſuperfuerunt, niſi in quibus trucidandis & ferrum & vires hoſtem defecerant.

XXX. Hæc Kilſithana clades Scotiam ſingulo prælio peſſumdedit. Non aliud formidoloſius bellum; raptaque fuiſſet impetu, niſi mox ſubventum foret. Nullæ inhibendo hoſti ad manum copiæ. Oppida certatim, alia ſponte, multa terrore, pro civium affectu, in deditionem venire. Malefici, Papiſtæ, hactenus conſpirationem prementes, uno omnes impetu ad victorem confluere. Quicquid nationum ambiguum aut adverſum fuerat, ferro & igne vaſtatur. Rapi virgines, matresfamilias pati, quæ victoribus collibuiſſent. Milites per municipia diſperſi, ſpoliare, vi & ſtupris polluere, obnoxiis ducibus & prohibere non auſis. Toto

regno fuga, cædes, incendia. Multi vicos deſerere & in avia digredi. Mulieres affligtare ſeſe, manus ſupplices ad cœlum tendere, miſerari parvos liberos, rogitare Deum. Poſtremo armis, luctu, cruore, cuncta completa. Multi volventes cadavera cæſorum, pars hoſpitem, amicum alii, aut cognatum reperiebant. Proceres, omnibus bonis ſuis uno caſu exuti, miſeram nobilitatem circumferre. Barvvicum in proximo receptus, quo optimus quiſque confugit. Et hi precibus ac lacrymis, quæ ſolæ reſtabant, Deo cauſam ſuam, & ultionem commendarunt. Nec quiſquam tam expers miſericordiæ fuit, quem non eorum fortuna mœrore afficeret. Paſſim ſilentia, gemitus, nihil compoſitum in oſtentationem, & altius animis mœrebant. Statim indicta ſupplicatio per Angliam pro ſociis. Preces & jejunia Scotiam, ne penitus ſuccumberet, ſuſtentarunt. Nec alia exercitus mens. Fairfaxius & cæteri Duces, literis ad Levenium teſtabantur: *Se Scotiæ calamitatem ſuam ducere. Quod ſi res domi ſinant, Parlamentum jubeat, ipſi acceptent, non parcius ſanguinem pro Scotis, quam pro Anglis, ſuſuros. Donec omnes ubique trium regnorum hoſtes deleantur.*

RERVM BRITANNICARVM

Liber Qvartvs.

Avgvstvs. i. *Scoti Equites ad famam cladis Kilſithana in patriam contendunt. Rex Hundingtonam elabitur, trepidante Eaſt-Anglia.* ii. Fairfaxius *Briſtoliam obſidet. Ratio hujus facti & urbis ſtatus. Montroſii in Scotia progreſſus.* iii. *Regiæ partes erectæ. Sagarum Inquiſitio.* Glamorgius *Papiſmum in Hibernia reſtituit.* September. iv. Levenius *Herfordiam deſerit.* v. vi. vii. viii. ix. *Briſtoliæ expugnatio.* x. xi. *Arcem* Rupertus *dedit.* xii. xiii. Montroſius *Scotiam vi & aſtu urget, Loudenio trepida omnia nunciante, & Anglos auxilia poſcente.* xiv. xv. xvi. xvii. xviii. *Caditur ingenti clade à Leſleio apud Selkirkam.* xix. Fairfaxius *tripartitur exercitum.* xx. *Devizes & Barclajum capiuntur. Suſſexii tumultuantes pacati. Suburbia Ceſtriæ capta.* xxi. xxii. xxiii. *Prælium ad Routonheadam, in quo Regii à* Poynzio *fuſi.* xxiv. Cromvvellus *VVintoniam obſidet.*

I. Hic adverſus caſus Regios & ipſam Herfordiam graviori periculo exemit. Nam cum Scotis equitibus ſub Leſleio ea clades innotuiſſet, attoniti primo; dein ubi ira & ægritudo per-

miſta ſunt, cum maxima cura ultum ire ſuorum internecionem, & commori hoſtibus feſtinant; palam profeſſi: *Haudquaquam ſe in Anglia ruinas patriæ & graviſſimam calamitatem ſpectaturos. Contra Montroſium duceret: illum ſe ulciſci, illum cadere velle*. Ita Nottinghamiam & inde Novocaſtrum petunt, exitium paulo poſt & internecionem hoſtibus allaturi. Ea occaſione Rex uſus, quoniam prima conſiliorum fruſtra ceciderant, victoriæ loco duxit, ſi copias incolumes, omiſſo Septentrione, reduceret. Uno biduo pluſquam LXXX CIↃ per Lincolniam, occupatis compendiis, emenſus, horribili celeritate Hundingtoniam venit, in qua urbe nonniſi IↃ equites, ex recenti delectu, ſub Gibſio erant. Is Stiltoni, & poſtea ad pontem Centurio Bennetus, regios aliquandiu ſuſtinuerunt. Donec hoc cæſo, Gibſius cum centum fere, & ipſo oppido, captus eſt. Reliqui Cantabrigiam evaſerunt. Sic Hundingtoniâ, Godminſterâ, Medloâ, Ives & aliis inermibus vicis, regii potiti, omnem Eaſt-Angliam terrore ſuo afflant. Quanquam nihil metuendum eſſet fugitivum agmen, cui non aliud præſidium erat, quam velocitas equorum. Sed trepidis circa rebus, cum nihil adhuc certi de conſilio, vel copiis eorum, quantæ eſſent, conſtaret, omnia in majus accipiebantur. Statim VVarvvicenſis, Dux Orientis, à Parlamento creatus eſt. Et jam captam

captam Eliam, jam de Cantabrigia agi, rumor ferebat, iſque vanus fuit. Regii eadem celeritate, aperta populati, cum maxima quacunque ierant, clade, per Hartfordiam & Bedfordiam Oxonium evaſerunt, relicta, etiam apud amicos, & qui partes ſequebantur, fœdâ, ob militum crudelem laſciviam, memoriâ. Qui nihil flagitii, ſpoliando, fidem fallendo, mulieres honeſtas ſtuprando, ex veteri diſciplina omiſerunt, non divini, non humani juris, memores. Oppida, cum magnas ſummas pecuniæ ſolviſſent, direpta. Auditæ miſerrimorum civium voces, & qui Regios hactenus exoptarant, tali obſequio rati domum ſuam procul injuria fore; *Ne infernus quidem pejora monſtra hoc milite alit.* Dicitur Gerhardus Hundingtoniæ in hæc verba erupiſſe: *Vos Regem Majeſtate ſpoliatum itis. Sed antequam hoc peractum ſit, adeo cuncta vaſtabimus, ut parum interſit, quis in deſolata inſula regnet.* Hic eventus expeditionis ad Montroſium fuit, multis indignantibus, quod tantæ federatorum & Londinenſium copiæ, non inhibere, non alicubi excipere prædatoriam manum potuerint.

II. Fairfaxius Sherbornæ mœniis dejectis, Briſtoliam, Somerſetiæ & totius Occidentis caput, contendit; cujus maximæ urbis obſidio, magnam ſecum molem trahebat, ulteriori in Devoniam & Cornubiam expeditioni longe præ-

 ferenda.

ferenda. Nam & Somerſetii hoc expetebant, auxilia ſua polliciti, & Rupertus Princeps, nuper Stenchomba expugnata, firmas VVīltoniis & Dorſetiis adhuc tumentibus copias junctuurus, à tergo relinqui non potuit, niſi Bathonia, Bridgevvatera, Sherborna, & quicquid nuper partum, periculo exponerentur. Ac exiſtimatū fuit ipſos expugnationi cives, propter commercia cum Londinenſibus, fauturos. Quod tamen ſecus cecidit, compertumque fuit eos acerrimè ſua mœnia tutatos. Tum Briſtolia capta, præter famam celeberrimæ urbis, omnia ad Exonium uſque, cum ipſa Cambria, in deditionem haud dubie veniebant. Spes quoque erat ſicut ea ante biennium urbe amiſſa, res Parlamenti in extremas anguſtias ac deſperationē redactæ ſunt: ita receptam, magnum omnino paci vel bello momentum additurам. Quod ſi oppugnatio difficilior eſſet, tum munitione inter urbem & Oceanum ſtructa, Sabrinæ oſtium ac navigationem regiis claudi facile poſſe. Non tamen deerant quibus ob privatas cauſas, & non in publicum bonum, ſuſcepta obſidio videretur. *Cur enim potens & in vicinia Goringius omittatur? In quo debellando majus momentum ſit, quam temporis & exercitus ante fortiſſimam urbem jacturam pati. Denique peſtem ibi ſævire, magno luis in militem, & hinc totum regnum propaganda periculo.* Hæc inania. Non vinci Occidens certius, quam

quam per Briſtoliam poterat. Semper male ceſſit, hoſtem ante & retro habere. Goringius in Devonia & Cornubia magis ac magis, odio ſui, Provinciales accendebat, & miſſis ad Bridgevvateros, Tauntonenſes, Lymios, duobus millibus ſub Maſſeio equitum, contineri poterat, ne qua in Orientem cum ſuis elaberetur. Denique cavendus erat prioris anni error, ne alteram Cornubia Leſtethillam, intactis retro præſidiis, daret. De peſtilentia quod objiciebatur, audita gravis Fairfaxii vox: *Deo fidendum, cui curæ futura ſit Reſpublica, ſive exercitus in obſidione peſtilentis loci, ſive in campo, contra hoſtem æque infeſtum, occupetur.* Seneſcente Augusto, urbs urbium undique, Somerſetiam & Glocestriam verſus, exercitu cincta eſt, & Fairfaxius, caſtris ante mœnia poſitis, inſtructas Legiones oſtendit, ſtatimq; deprehenſum fuit munitiones ſuas tam exiguo præſidio obſeſſos tueri non poſſe. Equites ante aliquot dies, inhibendis villarum incendiis præmiſſi; quæ res Stapletonæ, Henhamo & aliis pagis ſaluti fuit, cum jam Bedminſtera & Cliftona in ignes ſubſediſſent. Gloceſtrii & Somerſetii, magno numero in commilitium adſciti. Per eos dies continuis imbribus humidum cœlum; ita ut equi pariter ac homines langueſcerent paſſim ac interirent. Itaque obſidio tum magis quam oppugnatio fuit, & nihil ad ſummam rei actum, niſi quod

procurſationes, leviaque certamina, vario eventu inita ſunt; & Bernardus Aſhleius, cum Daniele Tribuno ad luſtranda caſtra egreſſi, hoc cæſo, ipſe vulnere gravis, captus eſt. Somerſetiorum tria millia, receptis ad ſe militaribus copiis, munitionem ad Portſheadum, dilapſo magnam partem præſidio; & alii Nunneiam caſtellum, occupant. Quo facinore, clauſum ſeptem navibus Sabrinæ oſtium qua in mare evolvitur; & adempta obſeſſis navigatio fuit: hi à mari, Dux à terra, omnia viris equiſque quatiebant. In urbe duo millia peditum, IↃCCCC equites ſub Ruperto Principe, multique inſuper inſignes viri, quorum aliqui, cum excedere vellent, Imperator prohibuit, ratus, id quod res erat, ſi intus concluderentur, deditionem faciliorem, metu expugnationis, reddituros. Commeatus quamvis longo bello pares; cum fama exhauſtam jactaret, quæ obſidioni maturandæ profuit. Nam haud dubie, ſi conſtitiſſet, quam nihil niſi vis & longa mora expugnare urbem poſſent, arma alio, nec tanto in publicũ fructu, converſa fuiſſent. Tribuni cujuſdam ex urbe ad Ducem Buckinghamiam literæ interceptæ, quibus per fœdas adulationes, precibus ejus ſe tutos & inexpugnabiles fore ſcribit, præſertim cum indubie decem juſti in civitate ſint, hoc eſt tales, qui ſe totos ejus ſervitio dedicarint. Quibus publicatis, populus fremere: *Papiſticas*

Domi-

Dominas eſſe pro quibus Cavallerii pugnent; quarum votis & ſuperſtitioſis precibus ſe tutos arbitrentur. Bazingham quoque Dalbeerius cum II CIↃ obſedit.

III. Regis omnes in ſolvendis obſidiis, apparatus erant. Et de Herfordia ſpem ſecundiſſimus Montroſii ſucceſſus fecit, non modicum in præſens levamentum. Qui poſt Kilſithanam cladem, Lithgovia capta, Edinburgum infenſo agmine petiit, certus eo potiundi, niſi fœda peſte languidum averſatus (& ea jam ſeptendecim millia hauſerat) Crafordio, Oglebio, Graio, carcere, liberatis, ingenti pecunia contentus abiiſſet. Et jam cis Firtham, in Laudonia verſabantur copiæ ejus, Northumbria & omni Septentrione metu arrecto, ne ibi nova belli formidoloſi nubes coiret. Quicquid virium poſt tantam cladem reſtabat, ad limitem, Barvicum inter & Carleolas, locatum eſt; ubi Argilius, Linſeius & alii proceres cum CIↃ IↃ militum conſederant; ſimul Montroſio, ne in Angliam ſe effunderet impediendo; ac cum Equitatu Leſleium venientem recepturi. Qui jam Novocaſtro ſuperato, miſerrimæ patriæ incendia, Maccorum, Oconniorum, barbaro ſanguine reſtincturus erat. Apud regios impotens gaudium, quaſi jam debellatum foret. Miſſi ſtatim Lutetiam pernices nuncii, qui Reginam inſperabili felicitate reficerent: *Verſos caſus, Pa-*

tratum

tratum bellum: ſubactam exitiabili clade Scotiam. Triumfare Oxonii Regem, magno bono ſuo Septentrione excluſum, ut nimirum Hundingtoniæ victor, arma & terrorem latius circumferret. Quod ipſa ultra mortale gaudium accepit, ut mœroris nuper, ita nunc lætitiæ immodica. Ac modo Montroſius, modo Hiberni jactabantur. Illum propediem in Angliam, magno exercitu venturum. Hos, audita Scotorum internecione, ad pacem vel inducias conſenſiſſe; & decem millia auxilio miſſuros. Goringio Plymmoutham otioſis ſtativis obſidente, decem & aliquando duodecim millia adſcripta, quibus Briſtoliam liberaret. Sed Hibernos, Britones ac Scoti, in Connachia ac Lagenia adeo urgebant, ut nihil ab iis ſperari poſſet; & potare, ſcortari, execrationibus numen laceſſere, Provincias diripere, Grenvilii militia, quibus artibus, ſicut corruptum militem ſibi conciliavit; ita aliud ab eo metuendum non fuit. Cœpit hoc tempore ſagarum per Eſſexiam, Suffolciam, Norfolciam & alias Provincias inquiſitio. Magnam partem vetulæ erant inopes, pannis anniſque obſitæ, quas malus genius per inania promiſſa ſibi federavit. Stragem jumentis, hominum pecudumque generi immittere, naves ſubmergere & alia eorum crimina. Preſbyteria quoque per Eccleſias inſtituta, Londinenſi Provincia in duodecim claſſes diſtributa: ſic ut Sy-

nodi

nodi Provinciales bis in anno: Nationalis, quandocunque Parlamento viſum fuerit, habeatur. Delinquentes biennii reditibus multati: cætera veniam conſequebantur. Quæ benignitas Parlamenti regias partes admodum afflixit, cum plerique fortunas ſuas redimere, quam amittere mallent. Cæterum tempus eſt ut exponamus, quæ illa tot rumorum de Hibernis & eorum in Angliam adventu, cauſa fuerit. Plerique conſulto talia ſpargi credebant, ad invidiam Regi concitandam, vel terrorem. Alii, non negare tractatum cum Hibernis de pace. Sed conditiones extrema Regis neceſſitate extortas, non ſe ad liberum Papiſmi exercitium extendere. Quorum dubitationibus ut ſatisfiat, ſciendum eſt, hoc menſe, à Glamorgano, Regiam authoritatem obtentui ſumente, Papiſmum in Hibernia, omnibus quæ contra erant legibus abrogatis, reſtitutum. Is ſecreta authoritate ſua, quam ut ſupra dictum, cunctis inſciis extorſerat, liberaliter & ex voluntate Legati Pontificii uſus, tandem cum rebellium delegatis in has conditiones tranſegit: *Romanæ Religionis exercitium in Hibernia omnibus liberum eſto. Templa, agros, decimas, poſſeſſiones, inde uſque ab Ann.* CIↃIↃ XLII. XXIII *Octobris, exceptis tantum illis quibus Proteſtantes in præſens utuntur, liberè tenento. Eximuntor à Iuriſdictione Clericorum Proteſtantium, & Catholicis ſubjiciuntor.*

tor. Leges contra eos proximo Parlamento omnes abrogantor, & Romano Catholici ad omnes dignitates, munia, præfecturas, per Hiberniam admittuntor. Contra Romano Catholici x *millia Regi in Angliam ſubmittunto*. Hæ conditiones ſunt in quas pro Rege Glamorganus x x v Aug. ſecretiſſima tranſactione juravit, Mountgarreto, Muſkery, Alex. Mac Donnel, Nicolao Plunket, Rob. Talbot, Dormet O Brian, Joh. Dillon, Patricio Darcy, Godfr. Brovvnio, rebellium nomine, præſentibus. Quam perfidè Glamorgius Regem circumvenerit, ex eo patet; quia enixe operam dedit, ne arctiorem Papiſmi libertatem, quam in Italia vel Hiſpania habent, Hibernis paciſceretur. Cautum quoque: *ne Ormondio liceret Catholicos in Religione, templis, poſſeſſionibus interturbare: ſed ut expectaret, donec hæ conditiones à Rege confirmatæ publicarentur.* Quibus omnibus expeditis Glamorgius in hæc verba juravit: *Ego Edoardus Comes Glamorgiæ, teſtor & juro, me fideliter Regi ſignificaturum omnia quæ in hoc regno tranſacta ſunt, & quæ nomine ejus promiſi, curaturum ut impleantur ſingula. Medio temporis exercitum fidei meæ commiſſum, nec ex parte, nec in totum periclitabor, donec conditiones à Rege, ſicut convenit, impleantur.* Poſt hanc ſecretam & Ormondio ignotam tranſactionem, acrius jam ſuſceptum eſt pacis negotium, rebellibus ſimulata in Regem fide, illa decem viro-

virorum millia, tanquam proditionis vexillum Papatui promovendo ſuſpendentibus, cum ipſis animo ſtaret, & Regem, & Angliam, & Proteſtantem Religionem, quantum poſſent, evertere. In quem finem pacti ſunt, ut ne exercitus divideretur, ſed unis caſtris ſub uno Duce Glamorgio, cæteris quoque Ordinum ductoribus à ſe tantum nominatis, contineretur. Statuerant ſecum præcipuis aliquot portubus & munitionibus velut pro Rege potiri, nec iis cedere, niſi in Anglia quoque & Scotia Papiſmo ſtabilito.

IV. Rex collectis III CIↃ IↃ equitum, Oxonio Cambdenam Vigorniæ, hinc Cirenceſtriam verſus, ductu Langdalii contendit, ambigua fama, Briſtoliam Goringio junctus, an Herfordiam ſibi deſtinaret. Quocunque tandem ſe vertiſſet, juſſi Poynzius & Roſſiter eum inſequi & noviſſimis imminere. Qui Northamtoniis, VVarvvicenſibus, Bedfordiis, & aliis adunatis, Gloceſtriam magna feſtinatione petunt, cum Rex Vigorniæ Mauritii & Iacobi Aſhlei receptis copiis, jam cum quinque millibus, haud obſcurè Herfordiam properaret. Illa obſidio in quintam ſeptimanam extracta erat, præfecto haud ignaro quibus Scoti neceſſitatibus laborarent: cuniculos, continuis imbribus, ſitu urbis humili, ſtagnare. Montroſium victorem, & in propinquo auxilia. Cum dedi-

deditio verbis perſuaderi non poſſet, Levenius ipſis Kal. Sept. urbem impetu capere conſtituit; & juſſus miles omnia ad invaſionem parare. Quæ dum in caſtris fiunt, Eveſhamo nunciatur, Regii equitatus tria millia Broadvvayæ & Cambdenhillæ conſpecta. Sequuntur feſtinatæ à Gloceſtriis & aliunde literæ; non pauciores ſeptem millibus ad Sabrinam vertere. Nihil hæc Levenium moverunt. Sed cùm eodem tempore David Leſleius Nottinghamia ſcripſiſſet, cum omni equitatu ſe in Scotiam certò iturum, dubitari cœptum eſt, quid optimum factu. Labores & pericula hactenus exhauſta, & ſpes capiendi urbem, ſuadebant ne obſidio dereretur. *Quis vero equitatum Regium ſuſtineat? Nam firmam, quæ opponatur, alam deeſſe. Si nondum capta urbe, dum fervet expugnatio, vacui occupatos, integri feſſos aggrediantur, haud dubie exercitum periclitari. Et ut ante caperetur: unde militi victus, omnibus ab hoſte viis obſeſſis?* Hæc prævaluerunt. Placuit abducere exercitum incolumem potius, quam ut incertis caſuum omnia permitterentur. Tum Montroſius Scotiæ debellator in animo; & miles incendia ac cædes patriæ acrius dolebat, quam ut ante Herfordiam, dubio exitu, de ſumma rerum cernere vellet. Apud paucos ea Ducis ratio prævaluit. In vulgus adverſo rumore fuit, factumque diverſimodè acceptum, criminantibus multis:

Segnem

Segnem tota æſtate militiam; toties victos & qui fugam animis, vulnera tergo ferant, non fuiſſe exercitui metuendos. Fugere potius inſequentem Poynzium Regios, quam quod obſidionem ſolvi poſſe ſperarent. Nec ob ſolam Froomam tantas copias tantis impendiis evocatas. Ac verum quidem eſt, Herfordia capta, Cambriam Auſtralem conceſſuram fuiſſe. Nam & Laughornius cum bis mille peditum, & CCCC equitibus Picktovvnam, ultimum in Pembrocia præſidium obſidebat; & Guilhelmus Middletonus cum millenis Welchpoolâ profectus, ex Bala Merviniæ Byronum CIↃIↃ Provinciales trahentem, ejecerat, dirutis Cargaynæ & Llandryſsloviæ munitionibus. Salopii quoque Linſella, quod vigeſimum poſt receptam urbem præſidium, capta, inſtare; & ex Bridgnorthia ac Ludlovia erumpentes regios, apud Epiſcopi caſtellum obruerunt, ducentis fere captis; tanta Henrici Vaughani indignatione, ut oppidum illud combureret, non aliam ob cauſam, quam quod in eo multi Puritani eſſent. Sed, ut dictum, Scotiæ certa jactura, Cambriam dubio eventu parare tum non placuit. Herfordii ſtatim incenſis quæ urbi proximant ædificiis, arbores quoque ſucciderunt, ut ne cuiquam facilis impoſterum obſidio eſſet, Poynzio Sabrina apud Gloceſtriam ponte ſtrato, Regios motus cum IIII CIↃ equitum obſervante.

V. Interea Briſtoliam Fairfaxius urgere, intercepto ab obſeſſis Okio Tribuno & Centurione Guilhelino cæſo. Quamprimum tempeſtas liquida, calore Solis refotus miles, & periculi quam moræ patientior, exultabat inſtare fortitudinis experimentum. Circumſpectis munimentis, & quæ expugnationi idonea, initium à jejunio & precibus factum, & auditis in Prætorio ſententiis, placuit non diutina obſidione, ſed impetu urbem aggredi, ne hoſtibus aliquid moliendi occaſio daretur. Et erat ſucceſſuum ingens ſpes, quod munitiones ad ſex millia paſſuum extenſas, firmo tueri præſidio Rupertus non poſſet. Quod ſi non omnis ſimul caperetur; at parvas copias ſuſtinendo præſidio ſuffecturas, cæteris ad pugnam, & in campo paratis. Literarum quibus deditio à Principe poſtulata, hec ſumma fuit: *Datum hoc virtutibus ejus & celeberrimæ urbi, quod non vulgari more deditio poſtuletur, ſed velut in pace, argumenta & perſuaſiones addantur. Nam & ipſum Principem regia Anglorum ſtirpe prognatum; & ſpectatam bello fortitudinem, hoc mereri. Inſuper cum antiquiſſima & populoſiſſima civitate mitius agendum fuiſſe. Nec Majeſtatem Regiam oppugnamus*, inquit, *ſed defendimus. Rex vero à malis conſiliariis, vel ſuo ingenio ſeductus, Parlamentum & populum ſuum deſeruit. Vos hoc diſcidium alitis: non jura regni (quorum præcipua pars eſt; ut Rex in rebus quæ ſalutem publi-*

publicam ſpectant, non privatorum, ſed Parlamenti ſui conſiliis utatur) propugnamus. Tantorum malorum authores arma noſtra ad deditionem poſcunt. Illi perduellionis rei, illi ad capitale ſupplicium quæruntur. Quod ſi convictus de integritate noſtra, civitatem hanc incruentis conditionibus dedas; tum affectum Parlamenti & populi Anglicani, quo fideliorem amicum familia tua non habet, facilè recuperabis. Sin ſecus, judicet inter nos Dominus & noxium puniat. Et judicet tota Anglia, num hæc quenquam veſtratium deceant, cæde & incendio ſævire in eos, quorum preces, lacrymas, opes & ſanguinem habuiſtis. Qui reſtitutionem veſtram ardentiſſimè expetierunt, illi Parlamentum & populus Anglicanus, quem oppugnas, ſunt. Horum conſilia & ſtudia adverſa pars, quam nunc pertinacibus armis tueris, interverterunt.

VI. Nihil ad hæc à Ruperto reſponſum, niſi quod altera die, libertatem mittendi ad Regem, petiit, quæ denegata fuit, quod ad extrahendum tempus ſpectaret, & omnia ad impetum parata, milite jam ſolum ſignum morante. Nihilominus negotium uſque in diem Lunæ rejectum fuit. Tum tubicen ex urbe reverſus, conditiones attulit, altas admodum, quibus deditionem obſeſſi facturi erant: *Si dirutis omnibus munimentis, urbs & civitas, in eum ſtatum, quo ante bellum fuerat, omiſſo præſidio, abrogatis novis legibus, reſtituatur. Si nullius bona*

in fiſcum redigantur: Si Clerici ſuo loco, templis inviolatis maneant. Cætera pro militari pompa. Atque hæc in ſpeciem & ficta cunctatione. Nam certum erat deditionem ejuſmodi conditionibus fieri non poſſe. Et tamen Imperator rurſus contra poſtulata Principis mittit nuncios, ac tractatus utrimque ſuſtentati, ita ut dies Lunæ quoque infecto negotio abiret. Rupertus interea anxius, varia ſecum agitare. Vel enim non ſatis contra vim inſtructus, extrema ſubire metuebat, ne in caſtellum redactus, durioribus, exemplo Ludovici Dyvis, ſervaretur: vel novas munitiones perficiendi, & auxiliorum à Rege atque Goringio ſpe, moras nectebat. Ut ita ſæpe miſſis remiſſiſque nunciis, tempus procederet & oppugnatio traheretur. Fairfaxius, ut erat Principis intelligens, unam diem, nullo adhuc in vicinia hoſte, haud difficulter indulſit; & ubi de conditionibus ageretur, cives minus ad reſiſtendum alacres ſperavit. Quicquid honorem Principis ac præſidii, libertatemque civitatis ſpectaret, haud difficulter, conceſſurus. Sed nullum Parlamenti Senatuſconſultum infringi poterat.

VIII. Cum non conveniret, infenſis utrimque animis, ad bellum reverſum eſt, & corona undique circundatis mœnibus, oppugnatio & impetus cœpit. VVeldenus cum quatuor Legionibus ad Somerſetiam, Montacutius

tacutius & Rainſboroughius ad Avonam & cis ac uls Froomam invaſuri erant, initio à ſexcentis, in tres partes æqualiter diſtributis, facto. Viginti ſingulis manipulis ſcalæ; duo ad ſingulas ſcalas viri: tum ſclopetarii cum faſcibus ſuis, & alius ordo, ignem, arma, haſtas ſuppeditantium. Denuo ſuccenturiati Iↄ c, & ultimum agmen claudentes x x foſſores, qui vallum ſcinderent, & viam equiti per ruinas murorum aperirent, quorum c I ↄ I ↄ peditem inſequerentur. Provinciales, & pars alia equitum, turbare cætera juſſi, ne qua laborantibus ſubſidium ferri poſſet, pari undique metu & neceſſitate. Teſſera; durante impetu, *David*; ſuperatis mœnibus, *Deus Exercituum*. Nunquam major in milite alacritas conſpecta. Et quamvis objectus amnis, additum vallum, imminentia mœnia, nil niſi atrox & propugnatoribus frequens terreret: tamen prælium poſcere, cuncta virtute expugnabilia clamare; & præfecti ac Tribuni paria differentes, ardorem incendebant. Et animum iis auxit donativum, quod Imperator, viritim ſex ſolidos, ob res fortiter geſtas, & nunc victoriæ authoramentum, diſtribuit.

IX. Tertia ferè noctis vigilia, igne ex ſtipulis, & quatuor tormentis, ſigno dato, ſimul clamor ingens exoritur, & undique muris adſultatum eſt. Prælium tota nocte varium,

anceps, atrox, his, rurſum illis exitiabile. Strepitus armorum ad cœlum ferri, tela utrimque volare, & miles non vulneribus, non periculis tardatus, ſola morte ſiſtebatur. Terribilis Rainſboroughius, ingens ipſe virium atq; animi, ipſis tribus horis, munitionem Priorum, civitati & caſtello imminentem, vix multo labore, cum omnia opera ſcalis ſuperanda eſſent, expugnavit, pediti cum ala equitum Iretono ſuccurrente, cui brachium duobus locis glande trajectum erat. Præſidium ab iratis, una cum ſubtribuno Pricio conciſum eſt, quod ultima omnia expectaſſent. Sex tormenta, & à Montacutio in lunatis operibus, ac alibi, ſedecim in poteſtatem redacta. Atque ibi plus vulnerum & pleræque cædes oriebantur. VVeldenus, quod ſcalæ breviores in profundo cœno altius ſubſiderent, continuo tumultu Somerſetiam verſus hoſtem diſtinuit, levi ſuorum jactura. Idem ad Bedminſteram, & Carolinam aliis, negotii fuit. Denique jam miſeræ civitati nihil niſi direptio, cædes, extremaque expugnationis mala, reſtabant. Hinc ſpes, inde deſperatio animos irritare; Fairfaxianis, ſi paululum annitantur, captam urbem credentibus; & in ea civibus ac militi par obſtinatio. Pro ingenio quiſque, pars eminus glande pugnare, alii ſuccedere, ac modò murum ſuffodere, modò ſcalis aggredi. Contra oppidani in proxi-

mos

mos ſaxa volvere, & omni armorum genere ſua tutari. Poſt acerrimam intra mœnia & in munitionibus pugnam, tandem Fairfaxiani equitatu immiſſo, urbe potiuntur, captis cum Tribuno Tayloro, militum C C C. Ingens victoria & major adhuc, ſi eorum qui ceciderunt, numerum ſpectes. Vix quadraginta ex Rainſboroughii & Montacutii Legionariis, qui maxima pericula ſuſtinuerunt, cecidiſſe conſtat. Complures tamen vulnerati: Bethelius, Cromvvellus, Gittenius, Durteyus, Iretonus, ſubtribuni; & Centuriones aliquot. Fatenturque omnes, pro nulla urbe toto bello acrius utrimq; pugnatum. Horribile ſpectatu, ut miles hinc contemtu mortis in vallum ac muros pluſquam deſperata audacia evaſerit: inde non numero, non cæde, non ruinis dimotus ſtatione ſit. Pugnare, labi, vulnerari, & locum propugnando oppugnandove captum, amiſſa anima contegere, pulchrum videbatur.

X. Dum in capta urbe miles graſſatur, tribus locis incendium exoritur, quod Regii, in caſtellum ſe recipientes, tectis immiſerant: & novam expugnationem opperiri velle videbantur. Quæ tamen opinione citius in deditionem mutata eſt. Nam tormentis jam diſpoſitis, dati mutuo obſides, ac Princeps paciſci cœpit, milite in univerſum fremitu aſpernante. Sed ea Fairfaxii moderatio fuit, ut nollet plus ſangui-

nis fundi, dare in non neceſſarium diſcrimen Legiones, haud Imperatorium ratus. *Cur enim vulnerari pateretur optimè de ſe meritos milites? Cur fortunam periclitaretur?* Quippe cum equitatu evadere obſeſſis haud adeò difficile; & Carolina à IↃ c hominibus, adverſus omnem vim, uno menſe, magna temporis & militum jactura, defendi potuiſſet. Itaque omni adminiſtratione belli omiſſa, de conditionibus, quæ perhonorificæ datæ, actum eſt: *Vt Princeps, Nobiles, & Ordinum ductores, cum juſtis armis; gregarii ſolis gladiis, ad præſidium intra* L C I Ↄ *paſſuum abeant.* Cæteri arma, & equos tradidere. Datum & hoc Principi, ut Oxonium, quanquam longius diſſita urbs, hoc ſpatio includeretur. Tertia pomeridiana C I Ↄ peditum, IↃ equites cum alia imbelli turba exceſſerunt, & inter Principem ac Fairfaxium, multa humanitate certatum. Expreſſa Principi vox: *Nullo adverſo caſu, tantum ſibi humanitatis exhibitum; & ubi poſſit, memorem fore.* Copias ejus tranſitio militum imminuit, & multi domum concedebant. Nihil hac victoria mirabilius, magnificentius, clarius fuit. Sed non propterea odium inter Preſbyterianos ac Independentes ceſſabat; illis Bamburin, Oxonium, Briſtoliam, perditas urbes, objectantibus; cum hi Marſtamnoram, Eboracum, Lincolniam, Nazebin, Leceſtriam, & quicquid hoc anno pro-

proſpere geſtum ſibi ſolis vendicarent.

XI. Atque hæc tam ſubita & inſperata Briſtoliæ expugnatio, Fineſium, à quo ante biennium Ruperto dedita fuerat; publicæ famæ & loco ſuo reſtituit. Nam eo tempore, nondum perfectis munitionibus,& extra validiſſimo hoſte, certiſſimum exitium allaturo, minus mirum deditam urbem: nec prius tamen, quam cIↄ cc hoſtium occubuiſſent. At nunc inſuperabili mole confirmatam, non unius menſis obſidium, hinc ad ſexageſimum lapidem Rege, inde & proprius Goringio auxilia oſtentantibus; toleraſſe, & vix ccc militum jactura receptam. Præfectura nova Skippono, virtuti ſimillimo viro, cujus vulnus Nazebianum ſatis jam coaluerat, commiſſa eſt. Miraculi inſtar fuit non infectum peſtilentia exercitum; milite corruptas lue domos perreptante, ac cum Briſtoliæ ſingulis ſeptimanis ultra cc extinguerentur, non niſi duos, quantum conſtat, toto anno in exercitu, id divinum morbi genus ſuſtulit, quanquam ad Imperatorem & milites, morientium per Provinciam & ſtativa gemitus ultimæque voces, crebro pertingerent. Rupertum, quaſi nimis celeri deſperatione rerum, urbem conceſſiſſet, invidia per calumnias preſſit; & Rex cuncta ſuſpectans, paſſim præfecturas mutavit, Oxonii Leggio, Nevvarkæ Rich. Williſio amotis, quorum illi Thomas Glemhamus,

 hamus,

hamus, huic Bellaſis ſuffectus eſt. Et hoc vulnus jactura ingentis Briſtoliæ acceptum, nec curari impoſterum nec tegi potuit, pleriſque Ducum à bello averſis, & pacem ardentius, quam crederetur, poſcentibus. Neque diſſimulabant indignationem ſuam: & Digbius, fax belli, odio ſuo ipſum Regem preſſit. Ita ut ſtatueret, inviſum hominem, ſpecioſo prætextu, à ſe quamprimum & ad tempus, dimittere; quod paulo poſt VVelbecæ factum eſt.

XII. Sicut Briſtolia magnum belli per Occidentem finiendi animum addidit: ſic quid futurum Scotiæ eſſet, anxiis adhuc votis muſſabatur. Nam Montroſius, tanta fortuna ebrius, ſuperbiæ ſuæ modum non invenit. Vaſtare, urere, trahere prædas, excidium cunctis minitatus, niſi cauſam ſuam à federatis diſſociarent. Cædes, patibula, ignes, cruces, feſtinabat. Quaſi jam nullo adverſo caſu percelli poſſet; ita inſultare verbis, Deum appellare teſtem juſtiſſimi belli, argumento ſucceſſuum. *Quid enim profuerit aperta & aliena crimina defleri, nulla Regis mentione facta? Illi ſurreptos reditus, illi Majeſtatem extortam, ſacrilegio tam gravi, quod non in uno hactenus Achane punitum ſit. Hinc parva manu proſtratos jacere exercitus, & ſævius adhuc, immanem peſtilentiam, per millena cadaverum graſſari*. Tum minis ac promiſſis juxta ſævus, ſpem offerre, metus intendere, tanquam jam non habiturus ex hoſtibus,

bus, qui victoris ora ferre, aut ipſius impoſterum Imperiis intercedere auderet. Dum nullæ Scotiam vires defenderent, utendum victoria ratus, exercitum, numero & robore formidabilem reddere contendit. Data Papiſtis & maleficis facultas armandi Provincias. Quod tamen ſegniter otioſeque, ut in ſecundis rebus actum, & felicitas in ſocordiam vertit. Cæteris arma detracta. Oblata pax, immunitas tributorum, aliaque, magis in ſpeciem verbis adornata, quam ut penitus ſentire videretur, conſuetis jam dominantium, quando alios fallere volunt, artibus. *Satis approbatam vim; datum iri & bonitatis experimentum. Quid enim ſuam fortunam affligant? Nibil Regis juſſa ſequentibus negatum iri. Victis graves pœnas, in deditionem venientibus clementiam paratam. Etiam antiquum fedus ab eo probari. Quod ſi ſuam cauſam non ab Anglis ſecernant, nihil quæ pati aut timere poſſint, prætermiſſurum. Cur non omiſſis præcipitiis, tuta & ſalutaria capiant? Nec quenquam cogi ut arma ſequatur. At quieſcere, & medium eſſe, pulchrum; & ſe genti Scotorum idoneum conciliatorem fore, ſi pœnitentiam, quam perniciem malit. Diſcedite à contactu,* inquit, *dividite turbidos. Id ſtabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit. Moneant vos utriuſque fortunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie, quam obſequium cum ſecuritate, malitis.* Et ut iniquiſſimam tyrannidem Legibus ſtabiliret, convoca-

vocatum ab eo Glaſcoviam, quaſi adulto Octobri Parlamentum. Miſſiſque nunciis Regem equites inſtanter popoſcit, metuens validum illa militia Leſleium, quod capto ab Eboracenſibus Richardo Grimeſio, cum neſcio quem alium ſimularet, innotuit. De Langdalio fama fuit, eo deſtinatum. Quod tamen, ſive conſulto, ſive ob celerem, quæ ſecuta, cladem, intermiſſum eſt. Compertumque fuit Montroſium ſecuritatis ſuæ pœnas dediſſe; cum longius adhuc abeſſe Leſleium crederet, qui jam ex propinquo imminebat.

XIII. Scotiæ adeo nihil poſt exercitus occidionem in ſe præſidii, ut niſi copiæ ab Anglia & Hibernia revocarentur; actum haud dubie eſſet. Sed Hibernia longius diſſita; nec res moram ferebat. In ſolo Levenio ſpes, quem cum equitatu Leſleius præiverat, poſitis Dunſeæ caſtris, cum apud Oſmaſtonvvoodam Montroſius eſſet. Roxboroughius & Humius, interceptis eorum caſtellis, quod rebellibus faviſſent, in cuſtodiam miſſi. Et profectus Londinum Scotiæ Cancellarius Loudenius, cladis index, trepida omnia nunciavit; *deletum miſerabili ſtrage exercitum, ambiguum ac prope ultimum diſcrimen inſtare. Crudelem hoſtem & victoria ex lubidine uſum, multos mortales ferro aut fuga extinxiſſe. Nunc & aſtu graſſari; nihil intentatum relinquere*. Tum per ſacra utriuſque gentis fe-

dera,

dera, per quicquid ſperandum metuendumve, obteſtari Anglos: *Commune periculum communi conſilio & ope propulſarent. Non bellum felix, non proſperam pacem fore, niſi adunatis Britanniæ viribus, alterum geſtum, acquiſitam alteram. Quo magis hoſtes diſtrahere conentur, eo fortius coëundum. Nam illis*, inquit, *in diſsidio noſtro, nobis in concordia, victoriæ momentum & inſtar. Adeo manifeſtum eſt; neque perire nos, neque ſalvos eſſe, niſi una poſſe. Vnam belli cauſam: idem ambo regna fatum manere. Standum ſimul; ne dum ſinguli pugnent, omnes vincantur. Meminiſſent, quo affectu & alacritate Scotia florentiſsimam pacem, cruento bello mutarit, cum Anglorum res in anguſto verſarentur. Nec uno adverſo caſu cedendum. Sæpe fortunam paululum circumagi, ut eo plura ſint virtutis experimenta. Cujus fere magnitudo calamitatibus approbetur. Quanta enim hactenus non ſuperata ſint? Quod ſi*, inquit, *nunc ab iis deſerimur, pro quibus pugnamus; & nobis pereundum fuerit: ſi alterutra gens perfidè egerit: tum graviora, quam quæ eloqui auſim, nos manent. Nec diu intra Scotiam ſe hoſtis continebit, & tantum in perniciem veſtram exercitum horridus Septentrio effundet, quanto cauſam veſtram olim ſuſcepimus. Nos vero utcunque totus deſerat mundus, quamdiu vel ſanguinis gutta, intra venas noſtras reſtat, Deo & cauſæ ejus freti, pugnabimus. Donec vel bellum felix, vel beata pax, miſerias noſtras terminent. Nam haud dubie populum ſuum liberabit invictiſ-*

ſimus

ſimus Deus. Atque hæc Loudenius, vir immortali memoria, ob res pro Religione & Libertate geſtas, digniſſimus. Non quod dubitaret Parlamentum Scotis non ſubventurum; ſed ea tempora erant, ut omnia concordiæ & diſcordiæ bona malaque poni ob oculos oporteret. Independentibus eo Levenii & Leſleii in Scotiam regreſſu nihil gratius accidit, nec occulta cauſa fuit.

XIV. Jam impleta erat iniquitas Montroſii: jam cœlum indignabatur feram militum barbariem; & ultio in propinquo erat. Quicunque hoc legis, exhorreſce ad divina judicia. Deus lædi ſe paſſus, tandem ex dignitate ſævit & tarditatem ſupplicii pœnæ gravitate compenſat. Cum ne virginitatem quidem impollutam relinqueret impurus miles, cum non dignitas, non ætas protegeret, quo minus ſtupra cædibus, cædes ſtupris, in publico & oculis omnium miſcerentur (tanta adverſus fas nefaſque irreverentia fuit) Deus primo inteſtinis diſſenſionibus eos diſtraxit. Gordonio Montroſius, Cravvfordio Rex promiſerat ſummum equitatus regimen. Et hic Edinburgenſi carcere liberatus, id obtinuit. Gordonus eam repulſam haud ferens, cum I ɔ ad ſua ſe, multa conqueſtus, recepit. Hæc prima jactura. Alteram Argilii & Seafordii copiæ, rebellium in Septentrione agros vaſtantes, produxêre, contra quos Colkitto-

chus

chus magnam manum educere caſtris coactus fuit. Sic validis nudatus auxiliis, cum reſiduis, quæ lectiſſimæ erant, copiis, in Orientem & Auſtrum, ad diſturbandos qui ibi agebantur, delectus; & audito Leſlei in Bervvïciam ac Lothianam adventu, Selkirkam Tividaliæ, cum cIↄ Equitum, & II cIↄ peditum contendit, firmaturus ſe malignorum opibus, quorum ea parte magnus numerus erat. Duodecima Septembris inter preces & jejunia Anglis pariter ac Scotis tranſigebatur. Et tum victus fuit Montroſius. Non eum humana vis; Deus & preces piorum debellarunt. Ne quiſquam miretur impios & Religionis contemtores tam ſubito victos & cæſos: nullus toto hoc tempore miniſter ſe iis adjunxit: nullæ ad eos conciones habitæ; nullis precibus roborati ſunt. Ita Dei gratia deſtituti quid facerent? Quid niſi cruentam & infelicem animam, inter merita ſupplicia, evomerent?

XV. Eadem die Leſleius uſque ad tertium lapidem, hoſti Philiphaughæ haud procul Selkirka ſubſiſtenti, approquinquat. Nox utrimque inquies, inermis ac mutuo metu, per iram & minas extracta fuit. Albente cœlo, Leſleius ingenti fiducia ſuos expeditos in hoſtem rapit. Nec Montroſio certum vel pugnæ vel fugæ conſilium; adeo mentem ejus numen turbaverat. Tantum trepidus, & jam exitium ſibi præ-

præſagiens, loci natura & munitionibus ſe tutabatur, rem in caſum dare & prælio experiri non auſus. Locum invadentibus difficilem delegit, hinc invia & inſuperabili foſſa: inde ſeptum agreſti aggere; & aditu anguſto, ne pervius equiti foret. Sicubi haud ſatis firma hæc eſſent, novas moles objecit, diſtributis paſſim inter arbuſta, ut invadentes turbarent, ſclopetariis. Intra hoc vallum ferus miles, velut Calydonius aper, horruit, non aliqua vitæ ſpe, ſed tantum mortem mutaturus. Atque ut in conſpectum animoſis Leſleianis venerunt, omnes ſe mutuo exhortati ſunt: *Hos illos immanes, hos patriæ Libertatis ac Religionis proditores eſſe. Cur non irruant?* Talibus irritamentis non longa cunctatio interponitur; & ſtatim maximi diſcriminis prælium cœpit, quo Leſleius & Montroſius, pro ſalute alter, in ruinam alter Scotiæ, dimicarunt. Hinc ſpes, inde deſperatio animos irritabat; & Montroſianis una cura, ne vitam inulti amitterent; & aut vincere, aut, ſi fortuna dubitet, in prælio potius quam fuga, mortem oppetere.

XVI. Initium pugnæ decima diei hora ab equitibus factum. Tres utrimque turmæ, quartam partem horæ, animoſius quam pro numero, pugnarunt: donec Montroſianus intra vallum ſuum ſe recepit. Idem fatum ducentos ſclopetarios, & confuſior adhuc fuga, abſtulit. Unde hoſti-

hoſtibus terror, fiducia militi; & trepidis inſtare acerrimus Leſleius. Et velut Leo aditus omnes rugiens rimatur; ſic ille, circumſpectis quæ impenetrabilia, quæve pervia, omnem undique impetum fecit, ſi qua munitiones perrumpere: ſi qua ex latebris extrahere inviſum hoſtem poſſet. Sed illi eadem timoris ac deſperationis cauſa, ſceleris magnitudo & conſcientia fuit, & omnibus inter victoriam mortemque certa deſperatione abruptis, multa & præclara facinora fecere; ſpiritum quem ſupplicio debebant, prælio reddituri. Igitur quem quiſque vivus pugnandi locum ceperat, eum mortuus, contrario vulnere, & verſus in hoſtem, contegebat. Noverant moriendum victis, moriendum deditis. Id ſolum reſtare, noviſſimum ſpiritum, per ludibria ac contumelias effunderent, an per virtutem. Itaque acris circa meridiem acies fuit, non his languidius pro ſcelere, quam illis pro ſalute publica, certantibus. Donec Leſleius tanto tempore deſperatiſſimos rebelles expugnandos fremens, perfringit aggerem; ſuiſque clauſtris impeditos turbat. Nutantem aciem victor equitatus incurſat. Et jam totis campis, non certamen, ſed ſtrages videbatur; nec prælio, ſed ultione opus. Pedites, obſeptis effugiis, occidione trucidati, donec ira & dies permanſit; & multi ſola deſperatione in mortem dimicabant. Centum Hiberni, tanto

infenſius cæſi, quanto ipſorum in Proteſtantes horridiora facinora extant. Jacuit ingens ſtrages, illuſtres, ignobiles, diſperſi aut aggerati. Victoria, quod mireris, unius horæ ſpatio parta, ac ea ipſa die, qua Regina Pariſiis, *Te Deum laudamus*, ob Scotiam debellatam, cantabat. Nec miles ſe continuit, quin altum inclamaret: *Date Soli Deo gloriam: nobis nulla debetur.* Angli quotquot ſub Middletono erant, fortiſſime pro Scotis dimicarunt.

XVII. Sed nondum ſatis Deus abominales homines ultus erat. Adhuc alia cædes & illuſtrior inſtabat. Quippe profugi equites, in via Glaſcoviam verſus, denuo conglobati, pugnæ copiam urgenti Middletono, cum aliter elabi non poſſent, fecerunt. Tanto furore à deſperatis pugnatum, ut primo pellerent Middletonum. Mox ſecunda impreſſione deleti & diſſipati ſunt, quicquid rebellium ſupererat. Heic in manus venerunt, Comites Traquairius, Scatonus, Drummondus; Oglebyus, Graius, Linton, Napier: Barones, Drummius, Reaſythus, Derceius, Puri Oglebus: Equites Rob. Spotſvvoodus, Jac. Douglaſſius, Leſly, Guilh. Rolloc, Guilh. Murrai frater Comitis Tullibrandii. Tribuni: Guilh. Stevvard, Jac. Hayus, O Cain, Dux Hibernorum, & alii complures. Cæſi ſunt: Ludov. Linſai Comes Cravvfordiæ Mag. equitum: Barones:

rones: Innerleithæ, Toughæ, Cambuſnethæ: Militum amplius duo millia, ac ſi quid amplius, cum ex Leſleianis non ultra quindecim, & duo tantum Centuriones, Barclaius ac Dundaſſius cecidiſſent, vix omninò centum vulneratis. Memorabile eſt eos ipſos, qui à malignis Edimburgenſibus Montroſio reſtituti erant, partim in acie cæſos, ut Cravvfordium: partim iterum captos, ut Oglebyum & Graium. Rob. Spotſvvoodum, Archiepiſcopi S. Andreani filium Lanericus cepit; & ſua manu ſigillum ſacciperio ejus extraxit, divinæ Providentiæ argumento. Quod Rex Lanerico ademtum Spotſvvoodo dederat; id nunc fortiſſimè Lanericus recepit. Inter captivas opes, ſecreta Montroſii fuerunt; & index eorum qui partes ejus ſequebantur; magno in publicum bono, quod detecti omnes proditores & perduelles, facilius caveri & opprimi poſſent. Incredibile dictu quantum Hullenſes hæc victoria exhilararit, quibus eadem nocte, intra duas horas, & Montroſii clades, & capta Briſtolia, innotuit.

XVIII. Eo modo intra pauciſſimos dies profligatum eſt bellum, & Scotia uno quaſi momento ultimam ruinam evaſit. Nihil huic ſimile reperies. Tanta hoſtium ſecuritas & inſolentia erat, ut citius cœlum ruiturum, quam hanc cladem ſperarent. Montroſius vix ſui ſpi-

ritus capax, jam territus exutuſque campo, ac repentè nullus, cum paucis in caſtellum Duglaſſæum, tutum loco ac præſidio militum, inde in ſpelæa & montes ſuos fugit, Leſleio ac Middletono, diviſis copiis, illo Glaſcoviam, hoc Sterlinum eunte; ut in clauſtris fugientes interciperent, & crudelem ac perfidum hoſtem in æternum exſcinderent, rati ſolam internecionem ejus, finem bello fore. Et hujus quidem crudelitatem maturè Deus ultus eſt. Cæterum Ierſeiæ præfectus immitiſſimè adhuc inſulanos premebat; qui apud Parlamentum graviter conqueſti, aliud tum ſolaminis non impetrarunt, quam quod pro ſingulis quos occideret, tres regios ſuſpenſum iri promitteretur. Levenius audito Leſlii ſucceſſu, qui ſpem revertendi in Angliam cum parte equitatus faciebat, apud VVentbridgam, cum exercitu ſubſtitit; & adeo jam ſuſpiciones inter Scotos ac Anglos invaleſcebant, ut exigua concordiæ ſpes eſſet, Independentibus haudquaquam ſibi gravium vocum temperantibus; & utrimque ad fedus provocatum eſt.

XIX. Fairfaxius Briſtoliæ cum præſidio relicto Fleetvvoodo, exercitum in tres partes diviſit, quarum una ſub Iretono in Devoniam contra Goringium ivit; alia ſub Cromvvello Devizas,& tres ſub Terribili Rainſboroughio Legiones Barclaiam miſſæ ſunt. Nam poſt

Briſto-

Briſtoliam nihil inacceſſum fore creditum; non certe illa præſidia, quibus Provincias paſſim, velut jugo premant. Ipſe Imperator Barthoniam, valetudinis ergo conceſſit; ad quem Princeps Cambriæ, per Devoniam & Cornubiam inſtabilis, ſcripſit: *daret Hoptono & Culpepero Regem adeundi licentiam, qui pacis cum Parlamento ineundæ conſilia ſubminiſtrarent.* Contra dicebatur: incendiariis ejuſmodi non opus: & ſi pax cordi, non per eos qui belli authores extiterint, quærendam. Itaque Parlamentum, ſive noxium id & fruſtraneum fore prævidens, Rege adhuc malis conſiliariis cincto, ſive ne Principi quicquam negare videretur, reſponſum diſtulit. Somerſetii & Glocestrii, velut libertate recepta, magnis ſupplementis Fairfaxii copias auxerunt, quas non ante quieturas videbant, quam omni Occidente recuperato. Glamorgani quoque & alii Cambri qui Sabrinæ prætexuntur, tradita Parlamento Cardiffa, libertatem circumſpexêre, quæ hactenus regiorum furori ſubjecta fuerat. Rex tum Vigorniæ, diſperſis per Herfordiam & Monmouthiam copiis, intento quorſum ſe verteret, cum IVCIↃ equ. Poynzio; qui Teukeſburiæ trajecto Sabrina, prælii avidus, ſive Septentrionem peteret, ſeu Occidentem, inſequi eum cum Derbiis & Lincolniis ſtatuit. Nec quicquam effectum, niſi quod inter velitationes leves, ad

famam regios Circenceſtriam adventaſſe, Bercleiana obſidio deſerta, ac mox repetita fuit. Ita ut tum tria loca ſimul obſiderentur; Bercleium, Sandalia, Devizes. Et ipſi Nevvarkæ imminebant Orientales, cujus præfectus Rich. VVilliſius Granthamum Lincolniæ fruſtra tentaverat. Quod ſi Scoti jam rejecto intra montes Montroſio, obſidionem hanc juvarent, belli finis brevior ſperabatur. Porro Devizarum obſidio ita ſe habuit. Cromvvellus deditione poſtulata; reſponſi à Carolo Floydo hoc ſolum tulit; *Caſtellum ſe abſque Regis conſenſu neutiquam traditurum.* Ad eam rem decem dies, intra quos ad Regem mitteret, ſibi concedi poſtulavit. Quod cum Legatus abnueret, dicens, *nemini potius caſtella regia, quam Parlamento committenda,* præfectus eum ad oppugnationem contemtim provocat. Eaque ſtatim cœpit, concuſſis crebro tormentorum fulmine mœnibus, & immiſſis tota nocte ex oppido ardentibus pilis. In tantis ſucceſſibus nondum ceſſabant tumultus. Exemplum à VViltoniis & Dorſetiis ad Suſſexios tranſierat; ubi populus, nomine clavigerorum, cunctanter, mox conſenſu, primo Ronconhillæ, dein Berryhillæ, tandem Mabbertoni, ne bellum toleraret, ſpeciem motus induit. Cumque jam ultra fremitum & minas auderent, Marleius Arundellii præfectus, eruptione facta, ſeditioſum agmen disjecit. Capti
ali-

aliquot turbones. Cæteri, ut eſt vulgus præceps, paviduni, ſocors, raptis temere armis, ac ſtatim omiſſis, in fugam & domos quiſque ſuas, vertuntur. Eadem quæ Occidentales petebant: *vetera novis, quieta turbidis ſe antehabere: Ne tributa imponantur niſi juxta leges regni: Ne Religioni Legibus ſtabilita derogetur.* Sed mox, ut dixi, tumor animorum, leviter caſtigatus, conſedit.

XX. Remoto Briſtoliæ metu, Occidens non gradu, ſed præcipiti curſu, à Regiis deſcivit; neminemq; poſt eam vinci puduit. Milites dimiſſi cuncta formidine implere, augendo rumoribus copias hoſtium, quo amiſſorum præſidiorum dedecus leniretur. Omnia quodam quaſi æſtu & torrente fortunæ ceſſerunt; ac facilis tranſitus ad infirmiora fuit. Barclaium ac Devizes, firmiſſima caſtella, non ſuſtinuerunt vincere & capere urbes aſſuetum militem. Præſidia ſine armis Vigorniam dimiſſa ſunt. Suburbia quoque VVeſtceſtriæ à Joneſio & Louthiano, quanquam immiſſis ab hoſte ignibus, expugnata, ſpem fecerunt capi urbem poſſe, qui portus ad recipiendos immanes Hibernos, Proteſtantium carnifices, Regi unicus. Quorum tum millia decem expectata, arma ad eos tranſmiſſa & à Parlamento intercepta; argumentum videntur. Itaque ſtatim, urbe aliquandiu tormentis concuſſa, magno animo impetus factus

 eſt,

eſt. Sed quod ſcalæ breviores, & impares mœnium altitudine eſſent, nec ſatis ea dejecta, duobus tantum amiſſis, quanquam ab oppugnatione ceſſatum, obſidio tamen continuata eſt. Miſſuſque ad Regem ab obſeſſis nuncius, qui circumſideri eos, & ni ſubveniretur, arctas res nunciaret. Quem non leviter hujus urbis periculum commovit. Itaque ſtatim cum v cIↄ equitum eo contendit, inſequente feſtinanter VVhitchurchâ Poynzio, quod de obſidione actum eſſet, niſi in tempore ſubveniretur.

XXI. Tertio ab urbe lapide apud Millerſheatham in Regios incidit. Et ratus ſe eos ex improviſo oppreſſurum, ad repentinam invaſionem omnia comparavit. Sed Regii, ex ejus ad Ceſtrios ſuburbicarios interceptis literis, ubi eſſet, & quid conſilii captum, jam perceperant. Itaque furtum non ſucceſſit. Statim inſtructæ utrimque acies, Poynzius Hattonam, Rex Milram, contiguas planicies, & anguſta diviſas via, occupat, ſumto ad prælium loco, ut aditus, abſceſſus, cuncta hoſtibus importuna, ſuis in melius eſſent. Nam præter paludes, & altitudinem viarum quibus regii pro munitionibus utebantur, etiam hoc nocuit, quod inter ipſum & ſuburbia poſiti, auxilia mutua diſturbarent. Primo certamine Poynziani ſub Bethelio in anguſtias tracti, unde haud facilis receptus eſſet, vix in apertos campos, abſque clade, poſt acerrimam

rimam pugnam, emerſerunt. Quæ res trepidationem auxit. Supra viginti cæſi, plures vulnerati, & inter eos Tribuni duo, Bethelius (cui hoc operum ultimum fuit, paulo poſt defunctus) ac Graves. Cumque Regii ſuis locis ſe continerent intra munitiones, nulla æqua pugnandi copia facta, Poynzius eos levibus velitationibus diſtrinxit, donec auxilia ſuburbana adventarent. Sed parum abfuit quin res aliter caderet. Nam iniquior fama, fraude hoſtium callidè vulgata, temere credita, fugatas Legiones, Regem toto campo victorem, & alia ex rebus infauſtis, ſparſit. Ac quæ natura magnis timoribus, deterius credebant quod evenerat. Jamque ſententia ſtabat obſidionem ac ſuburbia deſerere, ne omnia ſimul in diſcrimen ac ſub ictum darentur. Mox ut vanitas innotuit, non tantum continuandi obſidii, ſed & mittendorum ſociis auxiliorum ràtio inita, quod abſque iis nec hoſtem invadere Poynzius, nec abducere copias incolumes poſſet. Ea Joneſius, vir præſentiſſimi in periculis animi, ſigno duobus tormentis dato, eduxit, CCCL equites, IↃ pedites. Suburbia interim Louthiano commiſſa ſunt.

XXII. Sic adunatis magnâ utrimque lætitia copiis novum prælium cœpit, in Routonenſi planicie, altero à Ceſtria lapide: Poynziana acies ita inſtructa. Dextro & lævo cornu pedites lo-

cati. Intra equites bis mille & quingenti, ob majorem numerum. Rex ita ſuos conſtituit, ut illis adverſus hæc omnia conſtitutis, ſecundum cœlum tenens, vento ac Sole pugnaret. Sed alteris Deus, quod & teſſera, favit. Dies illa precum & ſolemnis jejunii erat. Nunquam improſpere inter preces pugnatur. Certus eſt de victoria miles, qui Deum in partes traxit. Itaque talibus viris non labor inſolitus, non ullus locus aſper aut arduus, non hoſtis formidoloſus. Circa quintam pomeridianam, atrocius quam pro numero, prælium coortum eſt. Tanto utrimque ardore, & pari ſpe pugnatum eſt, quaſi de ſumma rerum & noviſſimo caſu Routonheathæ cerneretur. Non ignes & volitans plumbum, non horribilis gladiorum micatio, militem loco movit. Denſati ictus, ora mucronibus quæſita. Nemo locum, quem pugnando ceperat, fuga deſeruit. Interea obſeſſi ſuburbia oppugnare, quod exiguo præſidio tenerentur. Louthianus iis defendendus impoſitus, hoſtem fortiter repulit, & I ɔ c equites, ac c c c pedites una cum Rege erumpentes, per Salopios, non intermiſſo ardore inſecutus, cæſo inter alios Comite Lichfieldæ, qui Ducis Lenoxii frater, multis captis, profligavit. Dum ita ancipiti prælio diu atque acriter pugnatur, pedites adeò equitem regium crebris ictibus & certa intentione libratis perterruerunt, ut fœda fuga diſperſus,

paſſim

paſſim totis campis palaret. Quod Poynzio victoriam peperit. Tum ſpectaculum horribile in campis patentibus, ſequi, fugere, occidi, capi; equi atque viri afflicti, ac multi vulneribus acceptis, neque fugere poſſe, nec quietem pati, niti modo, ac ſtatim concidere, poſtemò omnia conſtrata telis, armis, cadaveribus, & humus infecta ſanguine. Nec ante de præda cogitavit miles, quæ ampla & paſſim à fugientibus diſperſa, quam quod cædi vel capi poſſet defuit, parta victoria cuncta ſibi ceſſura ratus. Quidam Holtbridgam; alii & major pars, inter quos Rex, Ceſtriam evaſerunt. Ubi in duo magna agmina conglobati, rurſus inſtare, & prælium redintegrare cœperunt. Nec de fuga, niſi novis cladibus admoniti, cogitarunt. Quæ adeo præceps fuit; ut VVarvvicenſi Poynzianorum Legioni permixti, uſque ad ſuburbia ſecum eam in illa trepidatione raperent, ubi incerti à præſidiariis ictus, ſuorum atque hoſtium ignoratio, confuſa amicorum pariter & adverſariorum pericula. Fors favit, ut hinc pauci, ex regiis plurimi caderent. Tum diverſa, uti ſolet, rebus perditis, capeſſunt. Alii Bridge-Staffordiam fugientes, à Provincialibus in avia acti, equorum hominumque haud levem manum amiſerunt. Cæſorum in univerſum IↃCCC, & inter eos, præter Lichfieldium, Brian Stapletonus, nuper ab Hibernia, pro X millenis rebellium addu-

adducendis, redux. Capti CIↃ IↃ equites; & inter eos Philipp. Muſgrave, Thomas VVeſtonus filius Comitis Portlandiæ, Tribuni ac Centuriones complures, Tarvinum & in alia præſidia diſtributi. Sic Poynzius ſincere victor fuit. Rex & numero ſuperior, & locum, ventum, Solem, cuncta pro ſe opportuniora habuit. Lectiſſimus equitatus, & Ducum acerrimi, Gerardus ac Langdale. Contra Poynzio multa adverſa. Altera parte copiarum, & cæteris quæ opportuna victoriæ ſunt, inferior, quod hoſtis hinc in campo, inde ab urbe metuendus eſſet. Solo peditatu prævaluit. Qui numero licet exiguus, (IↃ erant) haud dubie victoriæ initium fecit. Magnam laudem Ceſtrii conſecuti ſunt; quod parvis copiis, Beeſtonæ ac urbis obſidionem, profligato inſuper, auxiliariis miſſis, valido hoſte defenderint. Rex cum profugis, poſt malam pugnam, apud Denbigios conſedit, tutus loco, & vires acciſas undique à Cambris, Principe Mauritio, & vicinis præſidiis, refecturus. Tanta in eo conſtantia animi fuit, ut non tot cladibus debilitari; non ad alia conſilia revocari potuerit. Adhuc fortunam, toties hoc anno improſperam, tentare viſum. Poynzius ad Occidentalem Deæ ripam, Dodelſtoni caſtra poſuit, ſupplementum firmum à Parlamento feſtinis nunciis poſtulans, quod Rex denuo formidabilis evaderet.

XXIII.

XXIII. Devizibus Imperator cum milite, invicto operis ac laboris, expeditionem in Occidentem ſuſcepit, Cromvvello, ſi quæ à tergo caſtellorum ardua reſtarent, expugnaturo. Shaftsburiæ ſtipendia cum tædio expectata. Goringii copiæ, quas octo millium fama jactabat; alii plus minuſve, per Devoniam, Thorntoni, Collumtoni, Hunningtoniæ & alia oppida ſparſæ, omnia conſumentes, ne Fairfaxio quicquam relinquerent. Inter eum & Maſſeium, crebra ſed minuta certamina; nec quicquam actum, niſi quod Goringius Mynheada combuſta, & ducentis militibus ibi captis, prædas undique ac incendia egit. Mox Maſſeius effuſe palantes adortus, haud minorem regeſſit cladem. Ita ferè æquis manibus diſceſſum eſt.

XXIV. Cromvvellus, belli ſi quiſquam alius conſiliiq; præclarus, cum Pickeringi, Montacutii, VValleri Legionibus, VVintoniam obſedit. Urbs ſtatim dedita. Firmiſſimi caſtellum operis & mœnia haudquaquam promta oppugnanti. Præſidium intus IↃ C C militum ſub Guilh. Viccecomite Oglio, Joh. Paulet, Guilh. Courtneio, Benneto, & aliis expertæ virtutis Tribunis. Et magnum obſeſſis animum Curleius Epiſcopus, Pontificio habitu & mitra Prælatica additurus videbatur. Sicut & fero-citer, humanitate Cromvvelli, abire permittentis, ſpretâ, vim quam miſericordiam experire

maluit,

maluit, paulo poſt inter fulminantia tormenta trepidans, & magno illam libertatem emturus. Sed tum ſerum fuit, & timidus maturandæ deditioni intus proderat. Liberare Provinciam illis caſtellorum vinculis etiam Eboracenſes annitebantur. Apud quos tum Sandaliam, poſt trium ſeptimanarum obſidionem, Overtonus cepit, præſidio VVelbecam dimiſſo. Nam hoc ſatius viſum fuit, quam deſperatos prædones, vel unius boni militis jactura, ulciſci. Hoc menſe, cum cætera, quantum conſiliis humanis aſſequi potuerant, expleſſent Patres, ſe quoque & ſolitudinem curiæ reſpexerunt, novis Provinciarum Senatoribus lectis, & multi optabant, ut Eccleſiarum quoque, ſub ſectis & hæreticis gementium, rationem haberent, ſtabilitis Preſbyteriis & diſciplina Jeſu Chriſti, juxta verbum Dei & exempla aliorum Reformatorum. Sed tum ac poſtea nihil impetrari potuit, unde populi abalienatio ſecuta; & multi, poſt tantas etiam victorias, graviora augurabantur. Guilh. Strouda obiit, juxta Pymmium VVeſtmonaſterii ſepultus. Vir ſummus & patriæ Religionis ac libertatis aſſertor conſtans, rectique pervicax, qua major in humanis laus eſſe non poteſt.

RERUM BRITANNICARUM

Liber Quintus.

OCTOBER. I. *VVintonia deditur. Victor exercitus ſuis malis laborat.* II. *Bazingam impetu capit.* III. Fairfaxii *in Devoniam expeditio & de ea judicium.* IV. *Rex Nevvarkam contendit.* Bironus *à Ioneſio cæditur.* V. Goringii *apparatus contra Fairfaxium. Stativa ejus invadit.* VI. *Tivertona & Monmouthia capta. Pr.* Rupertus *à Roſſitero fuſus.* VII. Digbii *ad Montroſium expeditio. Clades ejus apud Sherbornam Eboracenſem.* VIII. *Contentiones Ducum Nevvarkæ.* IX. *Duo Principes & multi alii Regem deſerunt. Ejus partes decreſcunt.* X. *Exonium obſidetur.* XI. XII. Digbii *altera clades apud Carleolam.* NOVEMBER. XIII. Vaughanus *à Breretono apud Denbigios fuſus.* XIV. *Shelfordiam* Poynzius *capit.* XV. *Rex Oxonium evadit. VVelbeca & Boltonum deduntur. November Proteſtantibus fauſtus.* XVI. XVII. Fairfaxius *obſidionem Exonio longius removet. Duſtera obſeſſa. Regii diſcordes.* XVIII. *Controverſia inter Scotos & Anglos de præſidiis quibuſdam, atque in ea Regi ſpes.* XIX. *Ceſtriæ conditio. Beeſtonum deditum. Vigornii arma pro Parlamento capiunt.* XX. *Canon Froomam* Scudamorius *fruſtra tentat. Ejus mirabilis machina.* Levenius & Poynzius *Nevvarkam obſident.* XXI. *Hiberniæ ſtatus.* XXII. *Exercitus in Occidente æger.* XXIII. *Liturgia*

turgia plane aboletur. Regis pro ea edictum. DECEMBER. XXIV. Fairfaxii *in Devonia ſucceſſus.* Digbius *Plimmouthum proditione tentat. Ejus ad Kerrium litera & hujus reſponſum.* XXV. *Ceſtria conditio, & Nevvarka.* XXVI. *Lathamia & Skiptona deduntur.* XXVII. *Herfordia memorabili ſtratagemate intercepta.* XXVIII. Fairfaxii *ad Occidentalem Exa ripam ſucceſſus.* XXIX. *Rex novos pacis tractatus urget.* XXX. *Glamorgius Majeſtatis Dublini accuſatur.*

I. TOrmentis muralibus diſpoſitis, mœnia caſtelli VVintonienſis dejecta ſunt. Obſeſſi eruptione facta, ſemel iis potiti, mox iterum exuti fuerunt. Fulmineæ pilæ, domo confracta, cujuſdam, qui Provinciam miſerè vaſtarat, femur, una cum hoſtili vexillo, abripuerunt. Sabbatho inter preces & ſacra tranſacto, veſperi ejus, præfectus deditionis mentionem fecit. Nocte in eo negotio conſumta, tandem præſidiarii exermes VVoodſtockam abire juſſi ſunt, pleriſque domum, vel ad Cromvvellianos, concedentibus. Cumque vis facta nonnullis eſſet, Cromvvellus ne fidem publicam hoſtes criminarentur, uno in furcam acto, cæteros quinque Oxonium vinctos miſit, ut in eos ſtatuerent, quod legibus belli congruum. Id laudem & admirationem repperit; dataque venia, cuncti indemnes remiſſi ſunt, Glemhamo fatente: *Superata hoc uno exemplo omnia militaris diſciplinæ experimenta.*

menta. Hoc decimum & nonum præſidium, Fairfaxii Imperio, vix duodecim militum jactura, receptum. Jamque Occidenti vires & pacis ſpecies, redibant, excifis paſſim prædonibus. Jam à Dovera in Devoniam uſque, ſalvum commeantibus iter, & contra belli faciem, tuta negotia. Provinciæ nunc acie, nunc expugnationibus in priſtinum pacis redactæ modum, & ſecuritas reddita. Nihilominus hic victor & tanti belli confector exercitus, ſuis malis laborabat. Stipendia non in tempore ſoluta. Unde apud militem inopia & languor, non gratuito hoſpitio, ſed ſuo ære victitanti. Inſuper valetudine tentatus; & conſpecti ſexaginta unius vexilli commilitones decumbere, quod radices & cruda poma, purioris victus carentia, comediſſent. Supplementa nec juſto numero, & tarde ſubmiſſa, tantiſque impendiis, ut ductores profiterentur, dimidiam ſumtuum partem ſibi ſuffecturam ad implendos manipulos. Cum IV CIↃ expectarentur, nonniſi IↃ CCCC, pro III CIↃ vix CIↃ IↃ in caſtra venerunt, cæteris dilapſis. Atque hæc perpetua exercitus mala, quæ argui facilius, quam expelli medicina potuerunt. Aliquibus videbatur optima ratio, ſi, quod Belgæ faciunt, ſingulis Provinciis certus militum numerus adſcriberetur, quem ſtipendio & ſupplemento ſuſtentarent. Hæc fruſtra: & nullo bello

O ita

ita conſtitui rationes potuerunt, ut quæſtus & neceſſitas erogationem inter ſe congruerent. Certius animis, quas negligentia corruperat, allaturum erat remedium, pii in receptas Provincias miſſi Paſtores, ut non arces tantum, ſed & Eccleſiæ reſtituerentur, & loca armis occupata, Religio atque juſtitia gubernaret.

II. VVintonia capta, Cromvvellus acer militiæ, aliquandiu incertus quorſum ſe verteret, mox ne inutili cunctatione agendi tempora conſumerentur, Bazingham ad Alberium contendit, ſumma vi illam toties fruſtra expetitam arcem rapturus, quam in arduo ſitam, opera moleſque & millenorum præſidium firmabant. Cumq; jam in caſtris VII cIↄ equitum peditumque eſſent, deditio minacius poſtulata: *Nullam pertinacibus gratiam ſperandam, ſi iram militis, uſque in extrema obſtinati, aſperent. Nam Provinciarum prædones, & quod gravius, Papiſtas eſſe.* Perſtiterunt illi in ſententia, freti munitionibus ſuis, & tribunus Hamond ac ſubtribunus Kingius, eruptione intercepti ſunt: nec in redemtionem eorum conſentire præfectus, quod rebus ambiguis, ſecum eos, periculorum participes, & vitæ pignus, retinere mallet. Sic Alberius, qua Septentriones arx reſpicit, una cum Pickeringi, VValleri, Montacutii legionibus, ſexta matutina, ſigno quatuor tormentis dato, denſa teſtudine ſucceſſit muris, quanquam

quam oppugnatio dura & ardua ob ingenium montis eſſet. Multum juvit ſecuritas hoſtium, qui ſilentio in caſtris & ſua laſſitudine ad ſomnum abuſi, membra quiete ſub ultimam vigiliam compoſuerant. Cum jam præter novam domum, Pickeringus, veteris quoque portam occupaſſet; obſeſſi veniam vitæ & deditionem orant. Aſpernari id victor miles, tela ac manus in ora precantium intentare. Interea VVallerus & Montacutius firmiſſima quæque expugnant. Tunc admotæ mœnibus ſcalæ, & irruptio ac cruenta expugnatio ſecuta, cæſis primo furore ultra centum ex præſidiariis. Permiſſa militi licentia, ultio & ſatietas. Sæva ac deformis arce tota facies, incendium, ubique lamenta & conclamationes virorum pariter ac mulierum. Unica in Hamondo & Kingio ſpes, apud quod Vintonienſis trepidus ſe continebat, aliis inter cruentos enſes miſerabiliter gementibus. Expleto militis furore, in cæteros venia data, & capti VVintonienſis, præfectus Rob. Peake, Colus & Morgan, duo Sacerdotes, ac alii. Papiſticæ picturæ Londinum tranſportatæ, & eo loco, ubi olim crux ſteterat, combuſtæ ſunt. Acceſſio victoriæ in Saliſburienſi agro Langfordia fuit, à Bartholomæo Pelio dedita. Bazinghenſem arcem ſolo æquare placuit; quod magnam partem exuſta & tormentis confracta, in medio Southamptoniç ſita, nec teneri abſque

 validio

validio præſidio ob magnitudinem mœnium poſſet; nec id virium eſſet quod capeſſendo bello, & tot locis firmandis ſufficeret. Majus pretium operæ viſum, ſi Farnhamo, Ciceſtriæ, & ex Alberianis contracta manus, Nuberiæ cum aliquot equeſtribus turmis imponeretur, ad inhibendas Denningtona, VVallingfordia, Farringdona, excurſiones. Sic enim commercia inter Briſtolios & Londinenſes in tuto fore, Suſſexiis & Hamtoniis promtius ad limitaneum, quam interius præſidium, tributa conferentibus. Alberius Denningtonenſi obſidioni, quæ collectis Nuporta, Aleſburia & aliunde copiis parabatur, ſumma cum poteſtate præfectus eſt. Excidio Bazinghenſium metus cæteris injectus, nihil tutum ratis, cum arma, munimenta, impediti vel eminentes loci, amneſque & urbes, juxtà perrumperentur. Inchequinius quoque Caſtlehavium cum rebellibus Hibernis apud Corkam aliqua clade multavit, c I ɔ I ɔ in Burraſia Inſula profligatis.

III. At Fairfaxii in Devoniam expeditio, non magnis carebat difficultatibus. Ut Lima Chardam venit, conſultatum in caſtris: perſequi iter contra Goringium præſtaret, an tantum inhibendus eſſet, ne qua in Orientem evaderet? Auditis ſententiis placuit ante Cromvvelli copias expectare, quam longius in Occidentem moveretur. Multi incommoda enumerare:

rare : *Tempus in hyemem præceps : ſilveſtre & crebris montibus impeditum ſolum : vias uligine profunda limoſas. Tum numero parem & multis ad Exum munimentis, ac ipſo anfractuoſo flumine tutum Goringium : urbem copia defenſorum ac magnitudine mœnium validam, quæ ſævitia temporis & opportunitate loci, nec obſideri nec capi queat. Quis vero hoſtem in Cornubiam ſecuturus ſit? Quod nec fieri abſque aperto diſcrimine, nec omitti poßit, niſi magnæ contra eum in deſolata regione copiæ alantur : vel ad irritum victoriam revolvi. Plymmouthum ſane liberandum, ſed num jactura lectiſſimi peditis? Duas ibi munitiones, quarum ſingulæ* I ɔ c c c *militibus defendantur, quanto detrimento, & quot virorum fortium morte expugnandas? Nullibi plus bonorum militum & inglorios perire, quam cum ejuſmodi extorquenda hoſti munimenta ſint. Quanto ſatius ſit, relictis contra Goringium, Limæ, Tauntoni, Bridgevvateræ firmis copiis, Banburin, Denningtonam, Boſtoliam, VVallingfordiam, ac ipſum adverſæ partis caput, Oxonium petere. Sic novo vere Goringium facile conceſſurum.* Immotum adverſus eos ſermones fixumque Imperatori fuit : *Non omittere validum hoſtem, & jam in Goringium ac Barclaium diſſidentem. Quid enim eo profligato, præter aliquot præſidia, reſtet? Debellatum fore ſi paululum annitantur. Multa quæ ſegnibus ardua videantur, experiendo confieri. Denique nullas Regiis extra Devoniam vires, qui jam, nimis confeſſa ignavia, contemnen-*

temnendum agmen hinc inde trepidi, ab uno ad aliud oppidum, celeri fuga, & non niſi in ſpeciem belli, raptent.

IV. Nam eo tempore de Ceſtria Rex anxius, Bridgenorthâ, receptis ad ſe Dudleianis, Lichfieldam cum II CIↃ IↃ equitum, inde Nevvarkam contendit; ac exploratores attulere, longinquum ejus iter, & Ceſtria an Montroſius peteretur, incertum. Poſtea compertum fuit, nullo deſtinato conſilio factum; ſed quod Nevvarka ab obſidionis periculo remotiſſimus locus videretur, tardis Scotis, & Poynzio haud ſatis valido. Qui copiis Leceſtriæ refectis promptè inſecutus eſt. Perſuaſum Regi, non eam Montroſii cladem, & validas adhuc vires eſſe. Tum ipſum Fairfaxium ac Maſſeium, à Goringio, gravibus damnis affectos. Redire fortunam, ſibi proſpera, cæteris dira ominantem. Non tamen par militi fiducia. Qui contuſa toties audacia, & rebus adverſis, deficere animo, ac paſſim fugere. Multi Ducum, crebris ſermonibus, de pace, ponendiſque per conditionem armis, agitare: & Rupertus imprimis inſtare, non averſo Rege, ſi Uxbridgenſes obtineret. *Cæterum rebellibus Majeſtatem ſuam ſe nunquam ſubjecturum: & ſi aliter pax haberi nequeat, bellum, ac omnibus perditis, mortem denique malle.* Inter hæc Ceſtriæ liberandæ intentus, vitam ac totius regni ſalutem ei ſe poſt habiturum

pro-

profitebatur. Nec ſpes levis erat. Quippe Poynzius, quod fruſtra expectari per inopiam deditionem videret, cum liberè adhuc commeatus ex Cambria, & per flumen Deam importaretur, acrius eam oppugnare cœperat. Sed quod minoribus copiis, quæ vix III cIↄ, cum octonis opus eſſet, non undique corona circundari & turbari mœnia poſſent, amiſſis fere centum, abductus miles, & expectare majora ſupplementa viſum. Summa utrimque pertinacia ante hanc urbem pugnatum eſt. Guilh. Byronus collectis CCCC equitibus apud caſtellum Holtenſe, caſtra invadere ſtatuit, eo ipſo tempore, quo validam obſeſſi eruptionem facturi erant. Quod cum Joneſio innotuiſſet, dubium ſibi & anceps ratus, à tergo & fronte pugnare, obviam proceſſit. Prima congreſſione inferior: mox proſpero auſu totum agmen profligavit, ipſo Byrono atque aliis captis. Quadraginta cæſi ſunt. Miſſus etiam à Parlamento Breretonus, ut authoritate ſua & prudentia obſidionem urgeret.

V. Hactenus Fairfaxium ſtipendia & ſupplementa, non in tempore ſubmiſſa, morabantur. Qui indignatus commodum ſerenitate cœli, poſt Briſtoliam captam, tempus elapſum, tandem Devoniam petiit, ſimultates quæ Goringium inter & Barclaium flagrabant, in commoda ſua verſurus, non minus vitiis hoſtium,

quam virtuti ſuorum fretus. Nec Goringium hoc latuit. Qui habita ad ſuos Exonii oratione, profeſſus eſt: *Privata odia publicis ſe utilitatibus remittere, ne Regis cauſa, jam ad Montroſium euntis, per inteſtina diſſidia corrumpatur. Inſecutos qui Ceſtriam obſidebant; & eodem haud dubie Fairfaxium, ac quicquid Occidenti grave, tractum iri: tantum Regii exercitus à Montroſio venientis terrorem eſſe. Interea tempeſtatem, poſt Bazingam captam imminentem, obſervarent. Si quibus in tres menſes victus deſit, ſuſpectos & bello inutiles, urbe amovendos. Nam militi, ubi auxilia in promptu, ubi Regis in Septentrione & alibi vires intellexerit, animum non defore.* Plus in Oratione hac dignitatis quam fidei erat, nec fractæ res verbis inanibus reſtitui potuerunt. Ut tamen aliquid ſuis ſpei præberet, firma equitum manu, ſtativa Fairfaxianorum Hunningtonæ ſubito furto tentavit, & nihil tale metuentes, captis aliquam multis, terruit. Cætera non auſus aciem, vel ſi occulto carpere agmen vellent, punito dolo. Hunningtona Fairfaxius Collumptonam, à Millero, cum duabus Legionibus ſuis Exonium ſe recipiente, deſertam venit, & levibus aliquot præliis majori operi præluſum. Grenvilius ex Cornubia duas Legiones adduxit. Prima cura fuit impedire ne Oxonium elaberentur. Ideò Maſſeius Tivertona, quod magni ad Goringium retinendum, & Plymmoutham liberandam,

dam, momenti eſſet, aggredi juſſus eſt, inſequente Fairfaxio. Favit fortuna. Nam cum ſeptem amiſſis, initio ſtatim repulſus eſſet, & quid porro agendum in caſtris conſultaretur, catena pontem ſuſtinens, ictu globi tormento excuſſi, confracta eſt. Hac opportunitate uſus miles, non expectato Imperatoris juſſu, per pontem, dum in caſtello trepidatur, ingreſſus, ſcalas muris admovet, & Talbotus cum CCC in deditionem venit. Levia inde prælia, ex occaſione hujus vel illius partis, crebra magis quam digna memoratu. Imperator nihil apud ſe remiſſum, nec apud hoſtes tutum patiebatur.

VI. Sicut Tivertona capta iter in Devoniam apertum, ſic clauſtra Cambriæ Chepſtovium, Morganus Glouceſtriæ gubernator tum expugnavit. Fitz-Mauritius cum centum militibus, magnam partem Hibernis, & ſedecim tormentis id tenebat. Nec ille minis, cum Morganus Stinchombæ talionem jactaret, expugnari potuit, *fidum ſe Regi ſuo, utcunque Hibernus & Papiſta*, profeſſus. Mox, auditis tormentis, deditio inſecuta eſt. Quam jacturam Scudamorius alia clade penſaturus, Herfordia & Ludlovia propere collectis copiis, Canon Froomam petit, quaſi Chepſtovium jam captum liberari poſſet: & ob inanes auſus ab Archibaldo Scoto, riſum ac ludibria reportavit. Inde in Monmouthiam Glouceſtrii profecti, cum VVaſhingto-

nus cIↄ Iↄ eq. peditumque trahens, pugnam detrectaret, civitatem illam, cum tribus millenis, quorum media pars Provinciales erant, à Trevorio Guilihelmo, cum cc equitum, adducti, obſederunt. Urbs primo impetu capta. Triduo poſt caſtellum, jam jam erumpentibus cuniculis, deditum, præſidio ſine armis Herfordiam dimiſſo. Et hi, poſt Briſtoliam ſucceſſus, omnem auſtralem Cambriam, Silurum olim ſedem, Parlamento conciliarunt, deſiderio liberæ cum Londinenſibus mercaturæ. Glamorgani ſcripto publicato, de ſuo in Parlamentum affectu teſtabantur; *eum conſtantem ſemper fuiſſe, etiam cum à regiis opprimerentur. Nunc vero eorum terrore liberatos, pro Religione, Rege, regno, Parlamento, legibus, libertate, vitam ac omnia impenſuros.* Monmouthię prędidium, Raglandis & Herefordiis coërcendis, impoſitum. Omnem etiam Maridunenſem agrum, & Ceretica m, Laughornius recepit. Nec infelicius alibi pugnatum. Farringdona ab Abbingtonenſibus & Highvvorthiis fere intercepta. Rupertus, & Mauritius, cum nonnullis procerum, ob ſimultates, Oxonio Banburin, hinc Nevvarkam petentes, à Roſſitero apud VValtonam cæſi, & Belvoirum uſque fugati ſunt. Nec amplius diffitebantur, regno ſe, poſitis armis, exceſſuros; id quod poſtea tentatum, & ob impedimenta, uſque ad finem belli dilatum eſt.

VII. In-

VII. Interea Poynzius cum III c I ɔ equitum, in Nottinghamia, receptis Derbiorum ad ſe & Eboracenſium auxiliis, Regem obſervabat, ſive Ceſtriam is, ſive toties jactatum Montroſium peteret. Cumque Nevvarkam veniſſet, Digbius, ſerendis ſuſpicionibus, ad Levenium ſcribit, illiq; hoc ſignificat, eo conſilio ut literis interceptis, alienatio animorum gliſceret. Quod quam callide ſuſceptum, ita vanum fuit; illuſuſque conſtantia Ducis Digbius, qui literas Parlamento, fidei argumentum, tranſmiſit. VVelbecæ anceps in caſtris regiis controverſia, quibus mediis, quam commodiſſime, adduci Montroſius poſſet: Digbio ſuadente, ut ipſe Rex cum Equitatu in Scotiam pergeret, ſiquidem conſtaret eum cis Firtham verſari. Sed cum de ſtatu ejus omnia dubia eſſent, conſilium diſplicuit. Quod cum equitatui Septentrionali innotuiſſet, omnes una voce teſtantur; *non ſe in auſtrum regreſſuros.* Cumque metus eſſet ne dilaberentur à ſignis, denuò conſultatum, ſi qua ad Montroſium via duci poſſent, crebris literis ſe neglectum conquerentem. Langdalio Ducatus oblatus. Is primo abnuere tanquam facinus deſperatum, & cum certa totius equitatus jactura conjunctum. Paulo poſt, re melius expenſa, cum ſuos dilabi videret, ea conditione ſe iturum promiſit, ſiquidem ſibi Digbius addatur. Ad quod Rex haud difficulter conſenſit, occaſione diu

diu quæſita qua inviſum hominem à ſe amoveret, & Digbio neceſſitas impoſita, qui jam pleriſque exoſus, graviſque in aula, ob nimiam poteſtatem in animo Regis, erat. Itaque advocatum ad ſe Rex ita alloquitur: *Digbi, hujus equitatus ſupremum regimen tibi commendo. Quantum potes, vide, ut eum incolumem ad Montroſium in Scotiam ducas. Quod ſi ſuccedat, honori erit. Sin minus, culpa carere debes, quod rem perditam & omnium opinione deſperatam, non ad finem optatum perduxeris.* Sic diviſo equitatu, partem ejus Rex Nevvarkam reduxit, cum reliquis c I ɔ Langdale & Digbius, recta in Septentrionem contendit, Montroſium cum immanibus Hibernis, ſtabiliendæ Proteſtantium Religioni, adducturus. Proſper initio ſucceſſus mentem inflavit; atque eadem exitii cauſa. Quippe audito Eboracenſium diviſas copias, equitatum Doncaſtriæ, pedites Sherbornæ & Milfordiæ luſtrari, VVelbeca properè advolat, & Ferribridga ſuperata, ſecuris ingruens, circiter millenos, diſſipata inſuper equeſtri Legione, intercipit. Gravis hæc clades, niſi ex tam inſperata fortuna in ſegnitiem lapſus, partam victoriam majori damno corrupiſſet. Quippe equites c I ɔ c c, audita ſociorum captivitate, intra duas horas, Doncaſtrâ ſub Coplcio, Alfredo, Lilburnio, ſtrenuis viris, accurrunt, & ſecurum hoſtem, ac ſucceſſu rerum ſocordius agentem, invadunt;

vadunt;

vadunt; haud ignari neminem celerius opprimi quam qui nihil timet. Ibi regii, acie ſic inſtructa, ut mediam Langdalius, dextrum cornu Digbius, ſiniſtrum Guilhelmus Blackeſtonus, Franciſcus Anderſon, & Carnabius regerent, declinante in noctem die, prælio excipiuntur. Et jam nutabat ſiniſtra Poynzianorum ala, cum dextrum cornu & ſubſidiariæ cohortes, tanto animo fluctuantem aciem reſtituunt, ut regii diverſi diſſipatique, in omnes partes fugerent; inſequente eos cum ſuis per oppidum, ad tria millia paſſuum, Copleio. Sic intra bihorium victor & victus Digbius, captivis omnibus ac ipſo equitatus ſui flore amiſſo, quorum ultra tercentum, & multi primæ nobilitatis viri, Anderſonus, Carnabius, & alii, ac Comitis Niddiſdaliæ uxor, in manus venerunt: quadraginta, & ex Poynzianis, decem cæſis. Et quod famam victoriæ intendit, Regis ſecretæ chartæ denuo interceptæ ſunt, conſilia in futurum, & quicquid hactenus occultum, aperientes, magna Oxonienſium indignatione, Digbio gravia imprecantium, quod ſua incuria, multis Regi clam fidis, inter quos Ioh. Pricius, unus ex communi, pericula creet. *Quid enim opus fuerit, ejuſmodi chartas, vix munitionibus tuto committendas, in aciem & medium hoſtem portare? Nondum ſcilicet ſatis Nazebiana clade doctum, quanta hinc turba & commotiones in populo oriantur.* Multa ex

ex illis literis innotuerunt: quæ Regis conſilia: quid ſpei ſupereſſet, quanta à Danis & Hibernis auxilia expectarentur. Ac ut populo innotuit: Digbio æquum videri, ut Hibernis rebellibus libertas Religionis indulgeatur; & Romæ ac apud Turcas omnia Regios moliri, aucta indignatio. *Nam niſi Dei ac pietatis contemtores eſſent, haudquaquam, Religionem, quæ Regicidia ſuadeat, permiſſuros. Hoſtem Parlamento toto orbe quæri. Turcas, Papam ſollicitari. Ipſos inferos, moturos, ſi quiſquam inde reverti poſſet. Nec alium ejus Legationis Principem quam Digbium fore.* VVelbecam ſtatim Copleius obſedit, deditionem facturam, ſi arx, & alterum in Leceſtria VVingfieldæ præſidium, dirueretur.

VIII. Hæc Digbii clades factiones Nevvarkæ acrius incendit: & auſus fuit Gerardus eum coram Rege perduellionis criminari: neminem plus Majeſtati ejus nocuiſſe, palam profeſſus. Hinc orta contentio. Bellaſis Digbium; cæteri & inter eos Rupertus, ac Mauritius Principes, Gerardum defendere. Cum gliſceret certamen, à verbis ad enſes ventum. Qui cum in cruentum facinus ſtringerentur, Rex, pro Imperio, eos recondi juſſit. Reconditi; ſed odia exertiora erant. Statim Principes, Gerardus, Havvleius, VVilliſius, Sandius, & alii fere cccc, quorum minimus centurionatum geſſerat, militia Regis ſe abdicant, VVortonam,

XIV

XIV C I Ↄ paſſuum Nevvarkâ concedentes, animo, ſi Parlamentum permitteret, in transmarinas regiones, vel aliò eundi. Certè arma contra id nunquam impoſterum ſe laturos. Præter has cauſas, quarum pleræque palam ferebantur, aliæ occultiores erant: & cognitum fuit, Regis permiſſu diſceſſiſſe. Hanc rem ipſi Roſſitero, hic Parlamento, ſignificarunt. Miſſus Londinum nomine Ruperti, cum literis ad Parlamentum, Oſbornius ſubtribunus, qui ea de re plenius ageret. Multa eorum poſtulata: *Ne juramentis obſtringantur. Vt vel manere vel abire, & Mauritio Vigorniam reverti liceat. Nec aliud ſibi in animo eſſe quam partibus & belli cura eximi. Procul à fraude & nocendi artibus; idque bona fide tam promittere quam ſervare paratos.* Ea de re in Parlamento diſceptatum; & vicit ratio parcendi, ne ſublata ſpe veniæ, pertinacia accenderetur. Reſponſum: *Commeatus abituris datum iri. Mauritius, ſi velit, Vigorniam revertatur. Opes, equos ſecum auferant. Ex portu, quo velint, Doverâ, Briſtoliâ, Yarmoutho, Hullâ, ſolvant: ac promittant ſcripto & juramento, nunquam ſe contra Parlamentum militaturos, vel, quod ei fraudi ſit, facturos.* Cætera quia præterita, etiam negata videbantur. Cum Oſbornio centurio Pickeringius remiſſus eſt, qui curam ejus rei gereret. Variè ea res, ut favor aut odium animos occupaverat; & quibuſque bellum invitis aut

aut cupientibus erat, ſpe vel dolore accepta. Regii haudquaquam dubitabant, majorem imposterum, amiſſis qui pacem & Parlamentum reſpectent, concordiam & meliores ſucceſſus fore. Aliquibus ſimulatio prorſus & imago abeundi videbatur, obtentui ſecretioribus conſiliis ſumta. Ut quiſque aſpera bello paſſus, ita clementia diſplicuit: *& hi crudeles hoſtes non dimittendos fremere. Totius regni viribus enitendum, ne impune auferant abominandi in populum exempli audaciam. Mollitia decretorum Patribus dignitatem, illis metum detrahi. Reſtinguenda quæ fecerint incendia noxio cruore, ut poſteris conſtet, non impunè Majeſtati Angliæ ab illis illuſum, & ſcelera ubicunque poßint fieri, poſſe quoque vindicari. Nam quis impoſterum metus, ſi tales, exhauſto immanis ſævitiæ curſu, ſecuri in tranſmarinis regionibus, fortè ad paria facinora, præſtentur? Vbi cæde, ubi incendiis, ultra humanum morem ſævierint, inter bella & clades ſaginatos, & laſſatos potius quum odia ponentes, petere commeatus. Quid, quod indici, velut læta nunciaret, datum præmium? Denique conficiendæ magis rei facultatem illis deſertoribus, & rerum capitalium damnatis, quam mentem ademtam; & ſi in urbem cuncti undique maligni confluant, ſpeculatores, denique hoſtes, in ſinu fovent. Nam corpus tantum Parlamento redditum, animum Cavallerios ipſos habere; ac pejus nocere, qui intra viſcera hæreant.*

IX. Hæc,

IX. Hæc, ut quiſque publica mala, acrius dolebat, variè jactata ſunt. Sed alii; *quomodo punirentur qui ſui adhuc juris? Fruſtra in abſentes ſupplicia conſtitui, & exemplum contra ſingulos, utilitate publica rependi. Bellorum egregios fines, quoties ignoſcendo tranſigatur. Ducendos ad extrema, qui hactenus in quartum annum, contra patriam & Parlamentum pugnarint. Dimiſſis etiam qui ſui genii magnitudine partes extulerant, quamvis inviſi ac nocentes ſint, adhuc ſatis malignorum; adhuc in quos ſecuris ſtringatur, reſtare.* Duo Principes, VVigorniam conceſſerunt, & priore Parlamenti reſponſo non contenti, Oſbornium iterum eò ablegarunt, qui tamen aliud nihil impetravit. Et jam regiæ partes undique concidebant, adverſis belli, tranſitione ad Parlamentum, & multi regno excudebant, ferociſſimis per acies abſumtis. Qui revertebantur ad Parlamentum, eos bona ſua redimere, fedus ſuſcipere, ac veniam delicti, ſub magno ſigillo, impetrare oportuit. Et hi pœnæ magis quam opprobrio exemti. Cæteri jurabant, nunquam ſe arma contra Parlamentum laturos. Quod ſi quis perjurus eſſet, ei omnis & vitæ & veniæ ſpes impoſterum negata. Præſtitutum tempus IV Decembris, ante quam diem, ſi qui defectionis pœnitentes tranſirent, impunè, liceret. Poſt id tempus non fore integrum, & talium bona in fiſcum redigenda. Atque hæ ſectiones

animos obſtinatos ſubruebant. Nam in pecuniam & famam talium, damnationibus & haſta ſævitum; multorumque excisi ſtatus, & terror omnibus intendebatur. Baro Cromvvellus quoque, deſerto Rege, ad Parlamentum conceſſit. Ac dum hæ contentiones durent, Nevvarkam obſidendam, omnes clamabant. Jamque Poynzius & Roſſiter, utramque Trentæ ripam, equitatu ſuo inſederant, & ſi Scoti operam conferrent, negotium confectum videbatur.

X. Goringius haudquaquam vana obſidii præludia videns, cum millenis equitum, Exonio, combuſta ejus parte, quo cæteras melius defenderet, Totneſiam ad exercitum, & inde longius in Occidentem conceſſit. Quem Creditonam uſque Fairfaxius inſecutus, Cromvvello ibi ad ſe recepto, cujus Chardæ & Crookhorniæ miles ſubſiſtebat; mox, Plymmouthum, quod ejus adhuc integra conditio eſſet, nihil moratus, ad obſidendam urbem, promtis Provincialium ſtudiis, flexit iter. Validum in ea præſidium, ter mille pedites, quadringenti equites, pleriq; Galli & Hiberni, eo infenſius pugnaturi, ob veterem æmulationem & recentia odia. Nobiles fæminæ, non adſuetæ bello, tutam abitionem facilè impetrarunt. Tum admotus miles, primo Apſhamum ponte ſtravit, ut inter utramque ripam commeare poſſet: dein caſtris circumcirca in ſex partes, Stokæ, Nevvbridgæ ac alibi,

alibi, diſtributis, vera obſidionis facies cœpit.

XI. Non adeo hæc Regem, quam Digbii odium, preſſêre. Qui jam, velut alter Catilina, maluit inter acervos cæſorum & in ruinis patriæ, quam alibi, ſpiritum effundere. Itaque primo congreſſu fuſus, reparat vires, ferox rapiduſque in conſiliis. Ex Sherbornenſi campo Skiptonam elapſus, collecta Boltono & ex Lancaſtria ac Cumbria manu, quaſi apud Kirbyam & Liddiſdaliam invaſurus, nunc terrenti ſimilis, mox iterum timenti, qua pergebat, agros vaſtare, prædas agere. Quod cum Bridgio Tribuno innotuiſſet, anguſtiis viarum præceptis, eum Partmakâ in Cumbriam, & Millumum Guilh. Huddleſtoni, ſecus mare ſitum caſtellum, rejecit. Ubi navibus aliquot ad littus conſpectis, rumor ſparſus, Hibernos iis VVhithaviam appuliſſe: & vanam formidinem, ut hoſtes fecerunt. Poſtea, cognito amicas fuiſſe, terror evanuit. Quanquam Hiberni expectarentur, & naves, obtentu alio, in Hiberniam, ad rebelles tranſportandos, miſſæ ſint. Hinc jam millenos ſecum equites trahens, deſtinatum in Scotiam iter, fiducia gnaritatis locorum, perſequi cœpit, vagis populationibus, & ob pernicitatem multis. David Leſleius, inter eum & Montroſium, cum bis mille equitibus ſubſtitit, miſſo cum CIↃCC Vandruſkio, qui undique agmen turbaret. Balmerſnothius limitem, collectis

 ſubi-

ſubito, quantaſcunq; poterat, copiis, tutabatur. Sic Scotia undique armis viriſque vallata eſt; nec ulla perrumpere via datum, hinc Leſleio, inde & propius, prçterBalmerſnothium, Vandruſkio inſtante. Retro Angli urgebant, ne toto Septentrione exactus, in auſtrum reverteretur. Major aliquando labor erat hoſtẽ invenire quam vincere. Vandruſkius tandem palantes & fuga ludificantes aſſecutus eſt. Qui furtiva celeritate, prælio in tranſcurſu vitato, refluentibus tum aquis, aliquot æſtuaria facile ſuperarũt; inſequente continenter Vandruſkio, donec obundatione æſtus jam altius aquis auctis, impediretur. Et ſic quæſito diu prælio, fruſtra habitus eſt, Digbio ad alteram ripam, quadam mentis vecordia ferociore, quaſi viciſſet qui evaſerat. Neq; minus deformis illa fugientium trepidatio fuit, quam ſi terga acie vertiſſent. Maximum in celeritate bonum putabant, & novam victoriam commenti ſunt, non pugnare. Donec Johannes Brovvnius, fugitivos cum I ͻ equitum, apud Carleolam, haud procul mari, invenit. Atq; ibi, miſſis C L qui tranſitum quendam cuſtodirent, cum reliquis C C C contra millenos hoſtium, fiſus Deo, quem tantæ impietatis ultorem fore prævidebat, pugnare decrevit. Remiſſis ad Leſleium ſignis, & ſi quæ alia impedimenta, nunciari ei jubet: *Victoriam ſe numinis auſpicio, ea die, hoſti extorturum; aut ſi fortuna dubitet, non incruentam pugnam fore.*

XII.

XII. Sic ingenti animo, exiguas copias, velut ad juſtum prælium inſtruxit. Digbius, cui ſpes omnis in fuga ſita, quanquam nihil minus quam pugnare vellet, cognita paucitate, hincque ſpernenti vicinior, tanquam ad facilem victoriam cum ſuis ruebat, & inſtructos ordines venienti hoſti admovit, diviſo equitatu, ut unam partem ipſe, alteram Langdalius regeret. Sed mox eum facti pœnituit. Nam centurio Leſleius cum alariis antecurſoribus, primam invaſionem, decoro ſpectabilis vulnere, tam alacriter fecit, ut facilè appareret, non numerum, ſed animum in bello ſpectandum. Eum Brovvnius ipſe excepit, latus alterum, ſed non letaliter, tranſverberatus. Nec diutius reſtitêre hoſtes, jam undique aquis cincti. Tota impulſa acies & perrupta. Primo cædes, inde disjectis turmis fuga ſecuta eſt, quam ſubſidiariæ cohortes ſiſtere non potuerunt. Duceni Boltonam verſus evaſerunt. Totidem capti cum vexillis Digbii & Langdalii. Centum in acie cæſi, plures vulnerati. Ex Scotis nonniſi XXX cecidiſſe, ad quinquaginta, præter ipſum Brovvnium ac Leſleium, vulneratos conſtat. Sic ſpe victoriæ inductus Digbius, ut vinceretur. Nec ultra mentis capax, & deſperatione in audaciam accinctus, lacerum agmen in ipſam Scotiam, Dumfreeſum rapit, velut in medios ruiturus hoſtes, ſi vel poſt tantas calamitates ad Mon-

troſium evadere poſſet. Continuo in eum firmam equitum manum Leſleius miſit. Et cum ſe undique circumventum in hoſtico videret, ac velut indagine cinctum, ad Carleolam Brovvnio, hinc Leſleianis inſtantibus, anceps animi, (nec moram res ferebat) ſe cum præcipuis ducum, Langdalio, Carnvvarthio, Huddleſtono, in lembum quendam ad littus repertum, brevi & ingloria perfunctus militia, conjecit; ac ſpes ſuas & infelicem expeditionem, ventis trucique pelago commiſit, incertus Hibernos an Monam inſulam peteret. Cæteri fuga ignobili, & latrociniis evanuerunt. Pleroſque Bridgius, Vandruſkius, Brovvnius interceperant. Hoc illud expeditionis Digbianæ ludibrium, & hæc ſpes auxiliorum à Montroſio. Cujus tum adeò miſer ſtatus fuit, ut altiſſimis incluſus montibus, nec ferre aliis, nec accipere auxilia poſſet. Et ut Parlamenti Glaſcoviæ indicti memor eſſet, Ordines Scotiæ ibi congregati, quatuor partium illius nupero prælio captos, in illis ipſis patibulis, quos ad terrorem erexerat, ſuſpendio necarunt, reliquis eadem pœna, paulo poſt, conficiendis. Habitus etiam Barvici conventus, in quo de rebus ad utrumque regnum ſpectantibus, actum eſt. Senatuſconſultum hoc menſe factum: *Vt delinquentes, bona ſua redemturi, veniam ſub magno ſigillo impetrarent.*

XIII. Kal. Novembres alia victoria nobilitavit,

litavit, auſpiciis Guilh. Breretoni parta. Quippe regiorum cIↄ Iↄcc equites, cccc pedites, ex Cambria, Herfordia, Vigornia, Ludlovia, Bridgenortha & aliis præſidiis, ſub Guilh. Vaughano, Denbigiæ coiverunt, Ceſtriam ultimo & validiſſimo niſu liberaturi. Igitur pudore ac metu, ne, ſi conceſſiſſent obſidioni, nihil in ipſis auxilii videretur, ſtatuunt poſtremò aciem oſtendere. Nam amitti ea urbs, niſi jactura omnium circa Provinciarum, non poterat. Breretonus, audito hoſtium adventu, relictis qui Beeſtoni ac Ceſtriæ obſidium continuarent, cæteras copias, ſub Tribunis Joneſio & Louthiano, iis obviam mittit. Qui receptis ad ſe Lancaſtriis, Derbiis, VVarvvicenſibus, Mongomeriis, Salopiis, cIↄ cccc eq. cIↄ ped. confecerunt, frontem Centurione Ottero, aciem mediam Mittono, equitem Joneſio, pedites Louthiano, Mouldum verſus & Ruthinum ducentibus. Ut VVhitchurcham ventum eſt, uno à Denbigia lapide, compertum fuit, hoſtes, anguſtias & ſepimenta, difficili aditu, firma manu, & tum apertos patenteſque campos, inſediſſe. Igitur relicta ibi ſub Finchio & Holtio parte copiarum, ad hoſtem diſtinendum, cæteri circuitu millenorum quatuor, circumire cornua, ut per plana & à tergo, incautis ſupervenirent. Quod dum fit, pedites relicti, majore quam pro numero auſu, hoſtem intra anguſtias ado-

adoriuntur, & iis ſuperatis, ſtatione pellunt. Receptus in proximo ad caſtellum fuit, ubi reſtituta acie, denuò prælium fit. Exarſêre animis victores, unoq; impetu perruptos cædunt, Derbio & VVarvvicenſi equitatu, per VIII CIↃ paſſuum, Convvayam, fugientes inſequente. Cæſi amplius centum: quadringenti capti. Cæteri adeo diſperſi, ut non ducenos ſimul conſpectos, fama ſit.

XIV. Hæc modica, ſed crebra damna, famam victoriæ partæ alebant. Et jam fracta regiis de Ceſtria ſpes, inter ſecunda numeraturis, ſi Nevvarkam & Exonium hac hyeme tutarentur. Nam undique inſtabat victor miles. Poynzius Nevvarkę obſidionem ſerio moliens, primo circumſitas munitiones expugnare conſtituit. Initium à Shelfordia factum, in qua duceni milites pro præſidio. Plerique cæſi ſunt, & munus miſericordiæ corrupit pertinacia, cum libentius vitam jam daret victor, quam victi acciperent. Præfectus, Comitis Cheſterfieldæ filius, graviter vulneratus. Hac occaſione Rex uſus, dum Poynziani Shelfordiæ occupantur, noctu cum CCC equitibus Nevvarka exceſſit, & Daintream, ubi à Northamptonio Banburiam ductus eſt, inde Oxonium venit. Quod cum Poynzio innotuiſſet, miſſa poſt Regem equitum ala, ſi forte Ceſtriam peteret, cum reſiduis VVortonam obſedit, quæ ſtatim dedita

dita ac munitionibus nudata eſt. Quaſi tempus hoc excidiis urbium & caſtellorum curreret: ita mox VVelbeca quoque, ſub Fretchvilio, deditionem fecit, hac conditione; ut in ejus locum Tickhilla & Botſvvorthia diruerentur. Secutum eſt in Eboracenſi agro Boltonum, præſidió Nevvarkam dimiſſo. Ut jam nihil in Septentrione, præter Skiptonam, reſtaret, quam cum IV c I Ↄ Thorntonus obſedit. Et Nevvarkæ ac Belvoiræ magna inter regios diſſidia. Multi commeatu impetrato abibant. Hinc ſpes Poynzio & Roſſitero, ubi pedites adventaſſent, utramque impetu rapiendi. Ferè tamen hi Duces, apud Belvoiram, ab erumpentibus ex inſidiis intercepti fuiſſent; qui mox, in ultionem, ſtabula, poſt bihorii acrem pugnam, ceperunt. In quo conatu ex Poynzianis XL, regiorum alterum tantum, cæſi. Tum caſtris Binghami, qua ex convallibus arx reſpicitur, poſitis, cum Derbiorum I Ↄ adventaſſent, fiſtulæ abſciſſæ, ut obſeſſis in caſtello, aqua ſubduceretur. Quorum præfectus, cum deditio poſtularetur: *Non ſe in hunc finem arci à Rege impoſitum* reſpondit, *ut eam rebellibus dederet.*

XV. Rex Oxonium reverſus, triſtem tota urbe faciem, fractaſque res, ibi invenit, Dorſetius lugubri oratione, ex quo in quem ſtatum, poſt tot camporum & obſidionum detrimenta

tum eſſet, cunctis mœrentibus, expoſuit. Ad quem Rex, infracto animo: *Et tu, Dorſeti, ſcis*, inquit, *non meliorem abhinc triennio conditionem meam fuiſſe. Vivit & regnat idem ille Deus. Qui me tunc ex contemto magnum, ex miſero formidoloſum effecit, penes eundem nunc mei jacentis cura erit.* Inde ſpem ſimulans, quaſi æſtivas clades hibernis eventibus penſaturus, Oxonio & Bamburia equeſtres copias vicinis Provinciis, Buckinghamiæ, Bedfordiæ, Hartfordiæ immiſit, à quibus agri latè vaſtati, nec aliud actum. Ipſam urbem Glemhamus novis operibus firmabat, vir inquies, non authoritate magis quam exemplo militem gubernans. Itaque munitiones circumiens, addere animum feſſis, reprehendere languidos, & ſua ipſe induſtria omnes excitare. Foſſæ paſſim magna altitudine depreſſæ, ferreis in fundo uncis, quibus ſe invadentes impedirent. Quintus jam annus magni hujus Parlamenti effluxerat, & idem poſt immanem conjurationem Papiſtarum XXXIX, à coronatione Elizabethæ LXXXVII fuit. Sic numini viſum, Novembrem Anglis per immenſa beneficia conſecrare. Hoc ſanguine Martyrum ebria Maria, cruentam animam exſpiravit; & finis Diocletianæ perſecutioni impoſitus. Hoc detectæ Papiſtarum machinæ, quibus Parlamentum imis evertere ſedibus, Giganteo auſu, conati ſunt. Hoc Religio

& Li-

& Libertas, illa ab incruſtato Proteſtantiſmi nomine Papatu, hæc ab arbitrario regimine vindicatæ. Apparet legentibus cum miraculo, quibus gradibus Papiſtarum molitiones decreverint. Sub Maria vis, cædes, perſecutio immanis & aperta. Totum Elizabethæ regnum conſpirationibus eorundem agitatum eſt, cum nunc Hibernos, nunc ſæviorem Hiſpanum excitarent; & venena, ſicas, ac omnia parricidarum inſtrumenta, fatigarent. Tum conjuratio pulveraria, ingens, atrox, horridum facinus, quale nec antiquitas vidit, & ægre poſteri credent, emerſit. Quæ omnia cum aſpera fœdaque eveniſſent, tandem occultis fraudibus, Religionem, Libertatem, ac omnia regni decora, ſubvertere conati ſunt. Ob hæc beneficia, Deo ſolemnes gratiæ actæ ſunt, & populus beata Elizabethæ tempora, cum illis quæ ſucceſſerunt, triſti recordatione contulit. *Nam eam, quod fidis conſiliis regeretur, domi florentem, & hoſtibus formidoloſam fuiſſe. Lata vicinis, per Regum impotentiam preſſis, decora auxilia. Opes ac gloriam piis bellis partam. Non tum Parlamenta ludibrio habita. Non Staffordios, Laudos, VVindebancos, Religione & Libertate, pro lubitu, ad ſervitium ac ſuperſtitiones, abuſos. Poſtea verſos caſus, donec omnia, in cruentiſſimam rebellionem Hibernorum, & hoc formidoloſum bellum erumperent.*

XVI. Fairfaxius adhuc circa Exonium hærens,

rens, novis conſiliis animum advertit. Hyemalis tempeſtas, & in illo angulo, ob viciniam ſuperi & inferi maris ſævior, longius exercitum diſtribuere coëgit. Vaſta regio, nec victum militi ſuppeditare poterat, nec eum tam arctatis ſpatiis, ab injuria cœli defendere. Igitur tormentis & impedimentis Limam ſepoſitis, ad Orientalem Exæ ripam tria præſidia conſtituit, Poltimooræ, Biſhopſcliffæ, & alibi, ut nec incluſi cuſtodiis hoſtes poſſent evadere; & urbs commeatu ſpoliata, ſenſim ad exitiabilem famem deduceretur. Maſſeius Silvertonæ ſtativa habuit. Cæteræ copiæ Hunningtoni, Bradnigæ, Autri, Stoakæ, Collumptoni, Tivertonæ, in vicinis municipiis diſtributę, tanta prudentia, ut ſitu locorum conjunctæ Legiones, ubi opus, facilè aduniri poſſent. Fluvius Exa utrumq; Exercitum interfluebat. Cromvvellus cum equitibus in promtu, quo ingruentes hoſtes refellerentur. Qui circa Okehamptoniam & Dartmouthum, nunc in Cornubios, nunc Exonium, confuſis itineribus movebant, nullo certo conſilio, niſi quod ſubinde jactarent, munimenta Fairfaxii ſe invaſuros & Dunſteram liberaturos. Id quod in Somerſetia propè Mynheadam caſtellum, mari vicinum eſt; à Blackio & Sydenhamo obſeſſum. Jamque tanta obſeſſos aquæ inopia fatigabat, ut deditionis conſilia agitarent; cum repente pluvialibus aquis refecti

ſunt;

ſunt;atque hinc obſtinatio rediit. Experimento cognitum fuit, non aliud felicius conſilium ea in Devoniam expeditione, hoc temporum & rerum ſtatu, inveniri potuiſſe. Nam & factiones Barclai ac Goringii acrius, ut inter infenſos, ardebant; & jam fames militem luxuriæ adſuetum invaſit. Provinciales, intoleranda omnia paſſi, turbare: & ad Parlamenti Imperium reſpicere. Peditum I I I C I Ↄ quos Grenvilius adduxit, indies minuebantur, Cornubiis dilabentibus, quod nec ſtipendia comparerent, & jam ultra viceſimam diem, qui terminus promiſſus, extra Provinciam detinerentur. Omnia in ancipiti, propter diſſidia Ducum. Milites plerique peregrini, ac ſolutiſſimæ diſciplinæ, quîs neque boni intellectus, neque mali cura. Goringius Dartmouthi æger; & fama fuit in Franciam, ſive tædio militiæ, ſive quod copias Regina traducendas paraſſet, iturum. Eo abſente, Grenvilio equitatus, Hoptono pedites commiſſi. Qui luſtrato Credintonæ exercitu, ſex in univerſum millia, ſub ſignis habuerunt. Princeps, miſſo ad Fairfaxium nuncio, reſponſum ad literas ſuas, jam Septembri menſe, quaſi pro pace ſcriptas, petiit; & Goringius de quibuſdam, per delegatos ſuos, cum eo agere voluit. Unde fama, Londinum venturos: & ſi quæ alia de regiorum conſiliis, ut inter otioſos, & in urbe ſermonum avida, jactabantur. Ut quiſque obvius,

vius, quamvis leviter audita in alios atque illi in plures, cumulata gaudio, tranſmittunt. Donec tempore ac ſpatio vaneſceret rumor. Sed, quanquam certum eſſet, diſſidia & inopiam aliquid, bono publico, extorturum, nihil tum hujus fuit. Goringii poſtulata, quoniam alia quam militiam ſpectabant, rejecta ſunt. Principi reſponſum: *Optimam pacis viam eſſe, ſi dimiſſis copiis, ad Parlamentum ſe conferat.* Atque heic ſtetit negotium.

XVII. Hactenus Alberium Regii detinuerant. Qui tandem Readinga cum Oxoniis, Buckinghamiis, Berceriis, Nuberiam contendit, recepturus ibi Southamptonios, ad obſidendum Denningtonam. Nam illa ædes latè vicinos infeſtabat. Sicut etiam Buckinghamios Boſtolii & VVallingfordii diſturbarunt, ne delegatum Parlamenti eligerent. Denningtonæ præfectus Ioh. Boiſius, omnes in circuitu arbores ſuccidit, ut eo difficilior, per aperta, obſidio eſſet. Nuberia quoque combuſta, montem in quo caſtellum eſt, variis munitionibus inſedit.

XVIII. Non alia tum Regi ſpes quam in diſſidio Anglorum & Scotorum fuit. Quippe inter hos controverſia, de præſidiis quibuſdam, Novocaſtro, Tinmoutha, VVarckvvortha, Stoktono, Carleolis erat. Parlamentum, auditis rationibus, cum illæ minus ſatisfacerent, literas

literas per Joh. Corbet & Daintonum, ad Scotiæ Ordines deſtinavit, cum poſtulato: *ut ante Kal. Martias reſtitutio munitionum, juxta pactiones federis, fieret.* Ac quanquam negotium grave videretur, jamque publicatis ſcriptis exaggeratum, tamen majorem concordiæ & ſalutis rationem habitum iri, & ſpes regiorum fruſtra fore, haud dubitatum. Jamque & Leſleius, relictis ſub Middletono & Monroio copiis, Novocaſtrum cum equitatu reverſus erat; & mox Levenius Brammanmooram, cum VII C I Ɔ contendit. Nam Montroſius, tum in Argilia ſe Colkittocho juncturus, intra montes coërceri facilè poterat. Nec quicquam in Septentrione turbidum; & ſeditio militaris apud Scarboroughani feliciter à præfecto ſedata fuit. Quod ſi Nevvarka ſimul & Ceſtria regiis extorquerentur, tum quidem, in illis partibus, patratum erat bellum.

XIX. Ceſtriam Breretonus acriter premebat. Turris, quam hoſtes, ante captum ſuburbium diruerant, reſtituta. Portis objectæ moles; & duo Cambriam verſus aggeres; unde & urbs tormentis quati, & pons, quo flumen Dea ſternitur, defendi poſſet. Deſperata vi, conſilium ad moras obſeſſores vertunt; haud ignari paucarum ſeptimanarum alimenta ineſſe; & multum imbellis turbæ. Jamque apud obſeſſos fames, multarumque rerum inopia, cum Byronus

ronus conditiones, ſed altiores quam quæ admitti poſſent, obtulit. Serio id fecerit, an alio conſilio, parum conſtat, & huc potius ejus obſtinatum ingenium inclinat. Beeſtona, poſt aliquot menſium obſidionem, & extrema famis, dedita, præſidio Holtam dimiſſo. Iſque locus maximi in illis regionibus, ad Cambriam & Ceſtriam retinendam, momenti. Quæ tum libertatis ſpe erecta, paſſim regios ejecit. Glamorgani Laughorniis & Brechiniis juncti, egregia virtutis ſpecimina edebant. Sæpe ab iis & feliciter certatum. Sradlingus & alii fugati. Nec præter Raglandiam quicquam iis moleſtum erat. Horum exemplo Vigornii excitati ſunt. Quos cum duplicium tributorum tæderet, conventu Breodonhillæ haud procul Eveſhamia habito, florentis ſucceſſu Parlamenti arma potius, quam regiorum fractas res, & dubiam cauſam, ſequi ſtatuunt. Nam & eo ipſo tempore, Th. Aſtonus in Warvviciam cum c x x eq. tendens, à Centurione Hillio, apud Ramſeium montem & Kittermunſteram cæſus, multis captis, paulo poſt ex vulnere obiit. Igitur Provinciales abnuere tributa regiis, & Ducem, probantibus Eveſhamiis, creant Edoardum Dingleium. Monmouthia tam facilè capta, ſpem animumque ſingulis injecit, Vigorniam, ubi Sandiſio in præfectura Jacob. Aſhleius ſuffectus eſt, ope Warvvicenſium & Gloceſtrium,

quia

quia impetu non poterant, mora expugnandi. Civitas Londinenſis & Synodus, exhibito ſupplici libello, ob graſſantem hæreſin, & ſectarum incrementa, regimen Eccleſiarum denuo & inſtanter urſerunt; ſed felix illa dies nondum, ut videtur, Angliæ illuxerat, triumfantibus interim illis, quibus pręcipua cura uniformem Religionem in varias lacinias ſcindendi.

XX. Quæ dum agitantur, interea Herefordii Canon. Froomam magno apparatu & in vanum tentant. Præcipuum terrorem intulit novum machinamentum, & ante id temporis in Anglia inviſum. Id ex ligno, aliquot contignationibus in ſpeciem turris contabulatum, tanta craſſitie protegendis oppugnatoribus, ut latera glande trajici non poſſent. Foramina ordine, ex quibus miſſilia in caſtellum librarentur. Nomen ei à forma ſus inditum. Magnis agebatur rotis, totam molem bobus trahentibus. Quod cum præfecto innotuiſſet, machinam & coëuntes Herfordios cum Vigorniis veritus & Ludloviis, Gloceſtriam, petitum à Morgano auxilia, mittit. Qui cum IↃ equitum, ccc ped. Corſleianis inſuper receptis, eò contendit. Regii tum Lidburiæ erant; & audito ejus adventu, ferali machina duobus Centurionibus, Fontio & Clarkio, commiſſa, ut eam Herfordiam reducerent, Bromyardam abſcedunt. Quæ à XVI militibus Frooma erumpentibus intercepta, &

Q ſca-

ſcalis combuſtis, in arcem deportata fuit. Morganus inde Radcotam obſedit, Levenio ac Poynzio, cum aliquot millenis, Nevvarkam invadentibus. Captus primo impetu Muſkamenſis pons, & Milmountium; magnaque ſpes oppugnationem validiſſimæ urbis haud diuturnam fore. In Lancaſtria Legionem Carevvii Rigbius fudit; & apud Leachlandiam transfuga Duetus cæſus eſt.

XXI. Poſt memorabilem ad Carleolam cladem, ſupra relatum fuit, Digbio, cum omnia viris armiſque clauſa videret, fugam mari placuiſſe. Is ſive ventis, ſive certo conſilio in Monam delatus, adhuc in ea morabatur. Eſt autem Mona inter Cumbriam & Hiberniam, medio ſita ponto, notabili longitudine inſula, ſterilis frugum & raris habitata colonis, quam cum præſidio Comes Derbienſis pro Rege tenebat. Cui, cum fractas res, trepidum Regem, & ſolam Hibernorum ſpem reſtare integram narraſſet, ſcapha Dublinum transfretavit, pacem cum rebellibus, & exercitum Catholicum, defendendæ Proteſtantium religioni, promoturus. Erat tum miſer in ea Inſula Momoniæ ſtatus. Rebelles Youghallam jam aliquot menſes acriter urgebant; & junctus Caſtlehavio Preſtonus, circa portum tormentis diſpoſitis, extrema omnia minabatur. Et jam inopia intus, cum præter CIƆ CC milites, ultra VI CIƆ imbellis

bellis turbæ, oneri eſſet. Nec dubium erat, quin hoc amiſſo oppido, de cæteris quoque præſidiis actum foret. Vires Proteſtantium in ea Inſula ſatis validæ, XII CIↃ ped. II CIↃ equitum ſub ſignis. Sed pecunia deerat, & regii Nazebiano prælio capti, quorum pars eo miſſa, perfidè ad hoſtes tranſierunt; documento, quid ejúſmodi militibus fidendum ſit. Parlamento regnum illud eo majori cura defendendum fuit; quod deſperatiſſimos rebelles, ſæva conſilia agitare, ſatis cōſtaret; & fama fuit Regem ex ſua gente lecturos. Nam hactenus ſimulata pace, & auxiliis Ormondium illuſerant; cum nec ipſe nec Digbius videret, id tantum callidos rebelles agere, ut ſpe auxiliorum impletus Rex, bellum in Anglia continuaret, quo durante, ipſi Hiberniam pro Papa, Hiſpano vel Gallo ſtabilirent. Atq; hinc pluſquam impias & pudendas conditiones propoſuerunt, ad quas ea ſe adigi neceſſitate Ormondius dicebat, ut ſimul, ſi ea pax Dublini publicanda ſit, tumultum populi, & defectionem totius urbis ad Parlamentum, juſtiſſima formidine expectaret. Quod ſi novò vere firma eò auxilia mitterentur, multi denuò conferre opes haud abnuebant. Interea Youghallæ commeatus ſubmiſſus eſt; & alibi proſperè pugnatum. Iniſkillani IↃ rebelles ſub Rouri Mac Quirio apud Loutherſtovvnam, ſimul toto O-Nealii exercitu fugato, profligarunt. Alia

iis apud Slegonem clades à Car. Cootio ingeſta, ubi 1ↄ cæſi. Cumq; cadavera excuterentur, repertus inter cæteros fuit Malauqhlin O Yeavvley Archiepiſcop. Tuamenſis, Connachiæ Præſes, vir maximæ apud Hibernos authoritatis, manu & ingenio promtus. Sed aliud quippiam, quam metuebatur, ſub ſacro veſtitu latuit, conjuratio pulveraria horribilior, Papiſmus reſtitutus, Proteſtantes templis ac poſſeſſionibus ſuis ejecti. Chartæ, inquam, ſacrilegæ, quibus totum Glamorganæ tranſactionis ſecretum, in apertam lucem protractum fuit. Nam, ut ſupra dictum, Glamorganus impetrata clam cunctis à Rege tractandi cum Hibernis authoritate, ea omnia indulſerat, quæ Auguſto menſe relata ſunt. Quod cum hactenus non creditum innotuiſſet, horribilis per Hiberniam & Angliam fama increbuit: *Nunc liquere quo fini rebellio Hibernica ſuſcitata fuerit, ut Religione Reformata extincta, Papiſmus & in Hiberniam & Britanniam reduceretur. Et huc ſpectare illum in cruentiſſimos parricidas favorem, qui peracta amplius centum millium immani cæde, nihilominus fideles ſubjecti & confederati Romano-Catholici nominentur. His ad ſtabiliendam in Anglia Proteſtantem Religionem opus, ac propterea miſſum Glamorgium, qui Papam, Templa, Clerum, Idololatriam indulgeret, omnibus contra Regicidas Ieſuitas & Clericos edictis abolitis. Enimvero gravem tanta indulgentiæ cauſam referri:*

referri: Quia illi Romano-Catholici ardentiſſimo ſtudio flagrent, Regis prærogativam & Monarchiam propugnandi. Quod ſi Rex non majorem in ſuis regnis Majeſtatem & Monarchiam, quam apud Hibernos retineat, tum quidem actum fore. Et quo fine tandem Hibernorum exercitus advocetur? An ut Hiſpano regnum tradant? Nam id ipſis animi eſſe ne dubitandum quidem. An ut Proteſtantium lanienam peragant? Nam eos lectum iri, quorum in cæde Proteſtantium ſpectata manus. Quid multis? neminem non videre, id quæri à rebellibus, ut potenti cum exercitu in Angliam, prætextu regiæ prærogativæ, qui communis Papiſmum propagandi obtentus, admiſſi, Reformatam Religionem Hibernicum, in morem exſcindant. Quantus verò Ieſuitarum, quantus Sacerdotum in tali exercitu numerus futurus ſit? Nec quenquam exiſtimaturum, illis conſilium ſtabiliendi Religionem Proteſtantem eſſe, qui infenſiſſimos ejus hoſtes advocent. Atque hæc paſſim in circulis jactabantur, gravia & atrocia in Regem, qui Glamorgii perfidiam, nondum illo Dublini Majeſtatis, ſaltem in ſpeciem, accuſato, luere cogebatur.

XXII. Adhuc inter utrumque exercitum terminus Exa, & fortuna videbatur neſcio quid dubitare, tanta Fairfaxium pariter ac Goringium, ſed magis hunc neceſſitas invaſit. Incommoda hiberna, & propter ſtipendiorum lentitudinem, victus inſalubrior, omnem exer-

citum valetudine tentârat, quanquam plerique convaleſcerent, & ſpe patrandi belli, omnes difficultates ſupervaderent. Et ſicut corpora languentia; ſic gravius animis ac diverſitate opinionum laborabatur. Regius in altera ripa inquies, diverſis Ducum ſententiis agebat, & in ſe cędibus ac rapinis, velut bello graſſabatur. Vaſta regio & impeditæ viæ, ipſis pro munimento. Hyberna eorum à Devoniis apud Okehamptoniam, Torringtonam & Barnſtablium, uſque in Cornubiam extenſa. Occidentalem Exæ ripam munire conſilium fuit; & denuo Plymmoutha urgebatur. Princeps apud Mohunum, Hoptonus in caſtello Pendenniſio erat. Gallica VIII CIↃ auxilia, & in vicem eorum traditas illi genti Gernſeiam & Jerſeiam, rumor conſulto ſparſus, ut fractæ domi res, externis inanibus ſuſtentarentur, jactabat. Quale & illud fuit: Principem transfretare juſſum ad Reginam, & à ſuis, extrema omnia metuentibus, ſi abiret, detentum. Nam anguſtias multis in ſpeciem magnificis conſiliis, ac fama, tutabantur Oxonii. Unde Montroſius, Galli, Hiberni, vana omnia, & duo inſuper exercitus, ipſis perpetuo in ore. Quorum uni Iac. Aſhleius, alteri Hoptonus præeſſet; & ſub illo Langdalius, ſub hoc Mohunus equ. Magiſtri; Capello peditem regente. Jamque non bellum, ſed latrocinium gerebatur. Cum IↃ CCC equi-

equitibus Oxonio profecti, cum Uxbridgam fruſtra tentaſſent, direptis miſerabili vaſtatione pagis, ad famam adventantis VVhalei & Iretoni, ſe intra munitiones trepidi recepêre. Nam eos cum duabus Legionibus Imp. in Orientem miſit, quod ſoli Readingi, Abbingtonii, Henlei, Nuberii, coërcendis Regiis à prædatione, non ſufficerent. Et quanquam dimidia exercitus pars in Orientem à Parlamento vocaretur; tamen gravior contagio obſtitit. Atque hæc cauſa cur non longius tum in Devoniam & Cornubiam, pellendo hoſti, ac Plymmouthæ liberandæ, itum ſit. Fortiſſimus miles, jam morbo & inopia languens, ſine maximo diſcrimine, montibus illis & hyemalibus incommodis, objici non potuit; præſertim cum mari obſeſſis ſine periculo ferri poſſent auxilia. In quem finem x c I ͻ librarum, ac paulo poſt alterum tantum, eò deſtinata ſunt. Imperatori monile, nomine Parlamenti, Aſhius exhibuit. Qui omni laude rerum feliciter geſtarum, in Duces, per modeſtiam collata; *illis quam ſibi, malle honorem exhiberi* dixit. *Cæterum hac munificentia, velut monitore, uſurum; ut patriam quantum poßit, tantis belli miſeriis, per Dei gratiam, exſolvat.*

XXIII. Hoc menſe Liturgia planè abolita eſt, introducto pro ea Directorio. Oppoſuit Rex edictum, laudando illam, criminando

hoc; *Liturgiam ſub prima Reformationis initia, doctiſſimis ac pientiſſimis viris, originem ſuam debere; Martyrio inſuper multorum, ac Legibus ſtabilitam, ultra* LXXX *annos, in ſumma pace ac copia floruiſſe, & ſcripturis niti. Denique ad uniformitatem, ac uſus locorum, ubi paſtores deſint, abſolutè neceſſariam. Contra Directorium feneſtram omnibus ſectariis aperire.* Hæc in ſpeciem, quia invalida, cumulo firmabantur. Nam Scripturis Liturgiam niti vel propterea falſum videbatur, quod multa vitioſè & contra veritatem tranſlata ibi citantur, admixtis inſuper Apocryphis libris. Nec ullus ob eam Marianis temporibus necatus; cum pleraque ejus omnia, ex Miſſali in Anglicum ſermonem tranſlata ſint. Edictum de Parlamenti Senatoribus revocandis, explicatum: *Non ſe id ad eos extendere, qui poſtea eligantur, vel procerum domui, ſuo jure inſerantur. Itaque ſi vel Imperator, vel alii Duces eligantur, non iis propterea militiam abdicandam; ſed quod maximè præſentiam eorum requirat, eo functuros coram.* De pace & regimine Sacro adhuc conſultatum, & exhibitæ à Londinenſibus petitiones, pro ſtabi'imento Presbyterorum, Synodorum, & ſupprimendis ſectis. Diſſidia Eccleſiaſtica, ſi qua componi ratione poſſent, actum eſt. Atq; hęc in vanum omnia. Contentiones eo jam evaſerant, ut ſumma Independentes inter ac Eccleſiam Anglicanam diſcrepantia eſſet. Quis in cauſa fuerit,

fuerit, quo minus Presbyteria & Synodi ſufficiente contra hæreſes, ſectas & ſchiſmaticos poteſtate inſtruerentur, olim fama loquetur. Nobis, ut obiter quædam libare haud alienum ab inſtituto viſum, ita res Eccleſiæ prolixius cruentis bellis intexere non placuit. Independentes, cum diu vana expectatione, promiſſis ac tergiverſationibus Synodum illuſiſſent, tandem pro illa toties & tam intemperanter jactata ſacri regiminis forma, libellum inanibus refertum cavillis protrudunt; atque hoc illud multorum menſium opus fuit. Cui Synodus, permiſſu Procerum, abnuente communi, breviter reſpondit; & fallacias, vim ac injuriam veritati, fidei, Eccleſiis factam, graviter detexit. Londini magna mercatorum pompa Ruſſorum Imperatoris Legatus, qui poſt obitum Michaëlis Fedrovitzii, renovatum cum Anglis dextras advenerat, ſuſceptus fuit.

XXIV. At Fairfaxii caſtra gravi morbo, anni quoque adverſa tempeſtate, apud Exonium languebant. Multi paſſim per ſtativa interire: & idem morbus Pickeringium, Tribunum militari laude celebrem, abſumſit. Et jam aſperior lues, mediam fere peditum partem corripuerat, cum Autreq. diſcedendi conſilium captum fuit, ſiſtendæ contagioni, & ut contra hoſtem paratiores eſſent. Quippe Regiis ſpes orta, militem armis invictum, morbo debellatum iri.

Hinc intenti copias reficere; undique ſupplementa evocare. Devonii & Cornubii aſperrimis edictis ad militiam exciti, Grenvilio delectus, per ſævitiam, maturante. Miſſus quoque in Franciam Goringius, adducendis inde ſub novum ver, auxiliaribus. Ita decem millium exercitu, apud Taveſtockam, Okehamptoniam & Cornubiæ limitem, conflato, neceſſitas Fairfaxio impoſita, jam conſtitutis ad Orientem Exonii munitionibus, ab altera quoque ripa urbem circundare, ſimulque hoſtium delectus impedire. Quod dum fit, Deſboroughius cum prætoria legione & tribus turmis, ad VValeyum, comprimendis Oxoniis, aliæ copiæ Corſam Portlandiæ mittuntur. Mox ob valetudinem militis, ſteriles locos, hoſtium adventus, promotis ultra Exam copiis, ſtativa Creditonam uſque, & ultra Tivertonam, latè extenſa; ut obſtructis undique in Orientem effugiis, Barnſtablia ſimul ac Exonium obſiderentur. Ita utramque Exæ ripam tenentes Fairfaxiani, Filfordiam quoque, cum amplo in ſex menſes commeatu, occupant, quod ea ædes, ad Plymmoutham defendendam, commodo ſitu eſſet. Ea obſidio jam in longum extracta erat, cum Plymtoni & Arundelliæ munitionibus ſuis tutus regius, non tam viribus, quam aſtu, & inopia obſeſſos urgeret. Johannes Digbius, ſimultatum, quæ in oppido, non ignarus, & iis ad com-

commoda ſua uſurus, Jacobum Kerrium, gente Scotum, per literas ſollicitat, memorando injurias, viro, ut loquebatur, forti, neutiquam tolerandas; & *adeſſe pulcherrimam ulciſcendi occaſionem, ſi oppidum Regi ſuo ac patriæ tradat. Cur enim ingratiſſimis hominum ſerviat? Amotum præfectura, oppido alium, nec fortitudine nec meritis parem, cui ſubſit, impoſitum. Enimvero hæc indigna & aſpera eſſe.* Addita promiſſa, & quicquid fidem labefactare ſolet. Exhorruit ad feralem Epiſtolam Kerrius, &, ut nomen Digbii ac fraudes agnovit; ſtatim arrepto calamo, in hæc verba reſcribit: *Privatas, quas fingis, injurias, publica ruina ulciſci; tui ſimilium eſt. Adhuc in memoria familiæ veſtræ ſcelera ſunt: & conſpirationem pulverariam iis Annales accenſent. Sed & Roberto ac Brovvnio frater tuus iiſdem artibus illuſit. Hæc Hiſpanica ſunt. Amicus quidem tuus tum ero, ubi cædium & rapinarum, venia impetrata, Parlameno pro injuriis ſatuſeceris. Sed cur non & illud commemoras: Amo proditionem, proditorem odi?* Inde per urbem inquiſitione facta, proditor deprehenſus, & ſuſpendio necatus eſt, hoſtilemque fraudem præfecti conſtantia eluſit. Cui Parlamentum I ↄ libras numerari juſſit, ex eum exercitui accuratiſſimè, tanquam digniſſimum virum, commendavit. Regiis tanta Plymmouthi potiundi fiducia fuit, ut paſſim jactarent: *Brevi Parlamento magnam cladem inflictum iri.* Quæ verba

verba Londini audita, ſive huc reſpexerint, ſive ad alias, quæ tum fervebant, conjurationes, excitavere curas: & in ſuſpectos, quorum magnus paſſim numerus, inquiſitum fuit: ne victorias, indies nova acceſſione creſcentes, una conſpiratio domeſtica ſubverteret. Nec hoſtis periculoſior, quam qui nullo in ſpeciem metu, atque hinc ſecuritate majore, ipſe tutus intactus ex occulto & per latibula ferit. Quemadmodum non tantos terrores aperta oppugnatio, quam ſecreti, & ex inſidiis erumpentes cuniculi injiciunt.

XXV. Acris tum hyems, & qualem vix ſenes longo ævo memorabant, in Anglia fuit. Altæ & continuæ nives, penetrabile frigus. Cum omnia torperent, ſolus miles, velut in media æſtate, incaluit. Hæcque prima poſt omnium ſeculorum memoriam, hiems docuit, convicta vulgi & hiſtoricorum opinione, militem Anglum, concretos immenſo gelu montes, glaciem, pluvias, frigus, inopiam, calcare & contemnere poſſe. Nihil remittebant obſidia. Cambris apud Raglandiam hærentibus, Laughornius, per Brechiniam & Maridunenſem agrum, ipſo Mariduno gentis capite potitus, inſtabat. Expugnatum Emblynium. Abariſ hvvaitha, caſtellum in Cardigana Oceano imminens, obſeſſa. Et ut Legionem Gradii rebellis Hiberni, apud Pembridgiam, haud longè Herfordia obruit:

ruit:

ruit: Sic in ipſa Hibernia Youghallæ obſidio ſoluta eſt. Rebelles, late vaſtata Momonia, in hiberna ſe receperunt, ambigua adhuc pacis & auxiliorum ſpe: ac ſi paululum tardarent, de Ceſtria, unde brevis in Hiberniam trajectus, actum erat. In ea urbe Iↄ ccc Hiberni, cIↄ Cambri, cIↄ cives, & pluſquam x cIↄ imbellis turbæ. Jamq; ingens, conſumtis mitioribus alimentis, apud obſeſſos fames. In tanta extremitate, nulli deditionem acrius impedierunt, quam Hiberni, præcluſa ſpe vitæ in ſolam mortem pugnantes. Et Byronum obſtinavere, præter odium Parlamenti, auxilia à Regiis promiſſa. Oxonio, Bamburia, VVallingfordia mille equitum collecti, qui receptis ad ſe Herfordiis, Vigorniis, Hiarchallanis, obſidionem ſolverent. Quos Lloydus in via adortus, Corbeto ductore graviter vulnerato, pluribus cæſis & captis, profligavit. Oxonios per Buckinghamiam VValeius cum cIↄ Iↄ equitum inſequebatur. Palantes, Vigornii & VVarvvicii, pontibus ad Avonam dejectis, Staffordia rejecerunt. Unde per Daventream, & Northamptoniam, circuitu quæſito, inglorii reverſi ſunt, & Ceſtrios ſua ſpes deſtituit.

XXVI. Non eadem Nevvarkæ neceſſitas, & obſidio illa anni tempore, ac nondum coëuntibus omnibus copiis, languebat. Levenio in Scotiam reverſo, Poynzius quoque æger

abiit,

abiit, cura militiæ Roſſitero commiſſa. Stativis per vicinos circa urbem pagos diſtributis, naufraga navis Suttonæ in Lincolnia ad littus ejecta, tignorum & aſſerum copiam, militi, contra cœli injurias, ſuppeditavit. Alius pyratarũ lembus, Burlingtonam tempeſtate actus, inde Hullam tractus eſt. Et quaſi Oceanus in regios conjuraſſet, ita Blytham quoq; navis violentiâ ventorum expulſa eſt; quam Novocaſtrius, pulveris, armorum, & militum plenam, ad Montroſium & Aberdenios deſtinaverat. Hæc mari: & felicior adhuc terra ſucceſſus. Lathamiam Lancaſtrii, Skiptonam Eboracenſes, duo firmiſſima caſtella, unde omnem Septentrionem regii deprædabantur, poſt diutinam obſidionem, expugnarunt. Sic omnes, uls Trentam Provinciæ, Eboracum, Lancaſtria, Cumbria, VVeſtmoria, Northumbria, Dunelmum, liberatæ, memorabili eventu: ut qui primi bellorum onerá ſenſerant, primi quoque victricibus armis reciperentur. Quicquid ibi virium, hactenus lentis obſidiis detentum, nunc alacri animo, in auſtrum, Ceſtriam vel Nevvarkam ſe convertit, ultima Regis præſidia, cum paulo ante media fuiſſent.

· XXVII. Apud Regios mixta deſperationi inſolentia: & quanquam fracto ſtatu, altius adhuc loquebantur. Cum cuncta adverſa caderent, quaſi ex nubibus, cum XL CIↃ Montroſium

troſium venientem ſomniabant. Tum qui hactenus adeò cuncta vaſtarant, jam curas rei familiaris intentius gerere: & agros Oxonium inter ac Abbingtoniam, dimidiato utrimque tributo, coli volebant. Et cum Palatini Principes, conſilio Anglia excedendi mutato, Oxonium ad Regem reverterent, Centurio Pickering, qui publica fide ad eos miſſus fuerat, viam ſibi ex urbe ad Eveſhamios, cum tribunis aliquot Regiis, Fiſhero, VVilliſio, Honivvoodo, Rolſteno, & aliis, aperuit. Et Principes quidem vix reverſi: ubi trepidus nuncius eos aſſequitur, Herfordiam interceptam. Sæpè quod nulla vis efficiat, caſus expedire ſolet; & in bellis, non minus pulchrum aſtu, quam aperta virtute, graſſari. Hæc eſt illa urbs, ad quam Scoti tam diu fruſtra hæſerunt. Ex illo ſucceſſu, quaſi inexpugnabilis eſſet, in ſegnitiem civitas lapſa. Unde remiſſior cuſtodia, & nata occaſio memorabili ſtratagemate eam capiendi. Birchius & Morganus huic ſecretæ expeditioni præfecti ſunt. Qui junctis II CIↃ equit. peditumque, Gloceſtriâ eo contendunt. Et quanquam propero milite, propter altitudinem nivium, in ſequentem noctem rejicienda invaſio fuit. Regreſſi uſque ad nonum à Gloceſtria lapidem, ſummo manè, tuti tenebris, ante Herfordiam, ſe abdunt; hoſte omnium ignaro, & nihil ſuſpectante. Orta luce, quidam Centurio,

turio, cum decem audacibus viris, habitu foſſorũ, quales ad operas urbem frequentare ſolebant, portam ſibi aperiri vult: cunctante cuſtodia, ligonibus ſuis tres ad terram dant. Simul CL ſclopetarii ex inſidiis accurrunt. Occupata porta, omnes copiæ immittuntur; & pugna per plateas ac domos, acris aliquandiu: donec regii debellati, in deditionem venirent. Sic fortiſſima civitas, feliciſſimo auſu, media hyeme occupata, cumque ea omnis ad auſtrum Cambria, Vigorniis haud parum indignantibus, conceſſit.

XXVIII. Fairfaxius ad utramque Exæ ripam victor, Exonium jam ex vicino & inſtantius urgere cæpit. Pouthramum quo minus interciperet, præventus ab oppidanis fuit, illam ædem, magno utrimque uſui, præſidio maturè confirmantibus. Ejus loco templum, inter urbem & mare, occupatum fuit, tanto regiorum furore, ut cum IƆCCC eruptione Exonio facta, pertinaciſſima oppugnatione id recipere conati fuerint. Nec remiſſius à Fairfaxianis propugnabatur; CC regiorum cæſi ac vulnerati ſunt. Nec vis ulla, ſed tempeſtatis rigor, Fairfaxianos dimovit; qui Canytrigam, haud procul Dartmoutha, in vicem ejus occuparunt. Ubi iterum oppugnatio, & Regii cum damno à præſidiariis, quibus Centurio Huggenius præerat, rejecti ſunt, aliquot ordinum ductoribus amiſſis.

amiſſis. Ità tum circa Exonium, diverſis locis pugnabatur, virorum fortium more; & Aſhtonhouſa quoque capta, ac præſidiis à Tivertona Creditonam extenſis, Exonium undique obſeſſum erat.

XXIX. Ita ſe hujus anni res circumegerunt. Regiæ partes campo & obſidionibus fractæ. Sed ut ſerpentes, capite obtrito, cauda minantur; ſic illi, conſumtis viribus, lenta conſilia nectebant, ſecreto molimine formidoloſi. Pax deſperatione ſucceſſuum, quæſita. Rex urgere conventum; & ſi per delegatos conditiones diſceptarentur, de eventu proſpero ſecurior erat. Contra Parlamento fixum ratumque fuit, priorum annorum errores, ſera prudentia, cavere. *Quoties enim fruſtra hactenus ea de re actum? Quid Brainceſordi impetratum, niſi integræ legionis internecionem? Quid Vxbridgæ, niſi ludibrium?* Secutæ Principis ad Fairfaxium literæ, idem poſtulantes. *Sibi pacem curæ, & operam pro ea collaturum omnem. Sed ut Patrem deſerat, id vero nec pacis medium eſſe, nec ſe facere poſſe.* Hæc quoniam non ad Imperatorem ſpectabant, velut aliena, tranſmiſſa ſunt. Cumque Patres in propoſito perſiſterent, Rex, per omnia ſacra ac humana, per regni pereuntis conditionem, per terribile judicium ac tribunal Dei, eos adjuravit, ut tandem aliquando, pacem toties oblatam, toties rejectam, amplecterentur. Sequebantur

bantur aliæ literæ quibus ſe ipſum Londinum venire paratum oſtendit; & per XL dies cum Parlamento tractare. Addita quæ pro ſua ſecuritate à Parlamento, Scotis, exercitu utroque, civitate poſtularet: & index illorum quibus militia committenda. *Soluturum etiam publica debita, maxime quæ Scotos & Londinenſes ſpectent. De Hibernia ſatisfacturum.* Scoti, ne tempus extraheretur, Uxbridgenſes conditiones ad Regem feſtinari volebant; *quod in fœdere cautum ſit, ut pax, quantum fieri poſſit, maturetur.*

XXX. Finem hujus anni memorabilis res excepit, & parum abfuit, quin ea tempeſtate Regiis in Hibernia res, ſubito ac inevitabili tumultu, ſubverterentur. Nam cum pax ab Ormondio & Digbio eò jam provecta videretur, ut nihil eam impedire poſſent, jactarentque Hiberni, multa millia, quæ Regi, & ad Ceſtriam liberandam, tranſmitterentur, in promtu, allatum ex Ultonia ſecretæ inter Glamorgium & rebelles tranſactionis exemplar, quod apud Archiepiſcopum Tuamenſem, in Connachia cæſum, repertum dicebatur. Ac primo quidem res incredibilis Ormondio pariter ac Digbio videbatur, & à rebellibus callidè conficta. Deinde omnibus majori accuratione introſpectis, cum alia interim exemplaria allata fuiſſent, non amplius dubitatum. Unica tum cura, quanam ratione

tione, ab obloquio vulgi, Rex vindicari poſſet. Nam ita omnes diſſerebant: *Si hæc in vulgus effluant, & authoritate Regis geſta credantur, tum omnes, quæ hactenus ſparſæ ſint calumnias, facilè fidem reperturas: Regem authorem Hibernicæ rebellionis, Regem Papiſtam fore, & qui Papiſmum reducat: indigna nomine & Majeſtate ejus audacia. Vnde fatalis omnium Proteſtantium defectio, haud dubiè metuenda ſit.* Enimvero apertum erat ita rem Glamorgium tranſegiſſe: & quanquam eum Digbius pro improvido homine haberet, non tamen videbatur tanta in quenquam ſtultitia cadere poſſe, ut talia, nullo juſſu, ſua ſolius authoritate, moliatur. Cumque formula quædam ipſis conditionibus inſerta eſſet, unum hoc reſtare viſum fuit, ut Rex à ſuſpicione illa celeriter vindicaretur. Itaque in eam ſententiam itur; Glamorgium majeſtatis à Digbio propere accuſandum. *Nam ſi tardent paululum, ſi rem emanare ſinant, totam regiæ vindicationis aciem hebeſcere, & potius, quia res manifeſta, quam quod impia, potius contra pernicioſos effectus, quam contra deteſtabilem cauſam, applicatam videri.* Sed quoniam jactabantur ııı cIↄ Hibernorum ad Ceſtriam liberandam, gravis ac difficilis quæſtio exarſit, nonnullis judicantibus; *expectandam copiarum tranſportationem, ne importuna Regis vindicatione, Ceſtria amitteretur.* Poſtea cognitum fuit, copias illas, juxta pactum, non ante in bel-

lum mittendas, quam Rex conditiones à Glamorgio promiſſas, impleviſſet, & pax plenè confirmata eſſet. Itaque decernitur, accuſationem feſtinandam, quod Ormondius paci ſummam manum imponere non poſſet, ſine prævia Regis vindicatione. Quippe cognitum erat multis jam negotium Glamorgii innotuiſſe. Dum dubitant in caſtello, ecce nuncius affertur, re per urbem comperta, omnium animos tumere, & extrema paucis horis metuenda, niſi quamprimum obviam eatur. Igitur Digbius, Glamorgium, haud ignarum hæc in præſens, populo decipiendo, ſimulari, atque hinc animo lætum & interritum, Majeſtatis accuſat. Cujus tanta fiducia fuit, ut alacris in caſtellum iret, & *ſe vel Londini ac coram Parlamento, rationem eorum, quæ Regis juſſu egiſſet, reddere poſſe*, arbitraretur. Hæc conficta accuſatio miram in civitate converſionem fecit, & qui paulo ante fremebant ac dura minabantur, jam pacatis animis erant, parum reputantes quam miſerè Digbii ſimulatione deciperentur. Sed unum reſtabat maximi momenti. Quippe metuebatur, ne Hiberni, ob Glamorgium acrius hac nova injuria incenſi, ad arma ſubito proſilirent, imparato ad bellum Rege, & cunctis invaſioni expoſitis. Cui periculo ut iretur obviam, ſtatim ab Ormondio ad Muſkerrium literæ expeditæ ſunt, quibus rationes hujus facti, & extrema neceſ-
ſitas

ſitas exponebatur. Deinde conditiones pacis, prout eas rebelles propoſuerant, approbatæ & Kilkenniam miſſæ ſunt, ambiguo eventu. Nam vel pax cum rebellibus, Ceſtriæ liberatio, & magna ſub novum ver ſupplementa, vel acre inter ipſos diſſidium & factiones ſperabantur. Quam arctæ tum in Hibernia res fuerint, ex eo patet, quod anguſtis undique finibus apud Dublinum Regii includerentur, circum vaſta regione, combuſtis undique & exciſis villis. Hinc rebelles ex propinquo, inde cum Anglis Scoti, terra marique inſtabant; & recte à nonnullis, qui regias partes ſincere ſequebantur, judicatum eſt: *Pacem cum Hibernis, quamdiu diſtractiones in Anglia durent, fruſtra ſperari. Nunquam eos illis, quas bello ceperint, commoditatibus ceſſuros. Tum pacem ambitioni & avaritiæ clericorum, authoritati nobilium, licentiæ populi adverſantem, quis credat ſucceſſum habituram? Inſuper Papæ in eo rem verti, qui jam non militantis in Hibernia, ſed triumphantis Eccleſiæ caput ſit. Nec exterorum Principum clandeſtinas deeſſe molitiones, qui rebellium ſpes metuſve, ſtudio foveant. Enimverò ſimulata* X CIↃ *auxilia, Regi circumveniendo, & augendis in Anglia diſſidiis. Illi ut tanto militum & armorum numero ſe exuant, quibus domi ſatis virium non ſit contra unum Inchequinium, nedum ut Scotos hactenus tota regni ſui mole expulerint? Quid ſi quis, junctis cum Ormondio copiis, facile hoſtibus ſuis pares*

fore, cogitandum, nec in illo quicquam ſubſidii eſſe, nec præſidia, metu inteſtini tumultus, imminuenda. Tum ea militum odia, eam animorum exacerbationem eſſe, ut nulla unio, nullus conſenſus ſperari queat. Itaque Ormondium, ſicut belli periculis impar ſit, ita pacem cum rebellibus utilem ac honorificam Regi nunquam omni arte ſua procuraturum; & fruſtra Digbium fore. Hæc tum de Hibernica pace jactabantur. Memorabilis hujus anni fortuna, cum perditæ res Parlamenti, Providentia numinis, & militum induſtria, ad ſummam ſpem, poſt unum prælium, erigerentur. Contra Regis fortuna, jam immenſæ ſpei, & quæ pacem quoque, non intolerandis pro civili bello conditionibus, obtinere poterat, dejecta fractaque, per continuas clades, nunc campo, nunc obſidione, fatigata exhauſtaque, ad ultimam deſperationem adacta fuit. Exemplo mortalibus, nunquam ſecundis ita innitendum, ut modeſtiæ obliviſcamur: & pacem, qualicunque ſecuritate, incertis bellorum, præferendam.

RE-

RERVM BRITANNICARVM

Liber Sextus.

Res anni CIↃ IↃC XLVI. IANVARIVS. I. Fairfaxius *Regios in Cornubiam pellit, Plymmouthum liberat.* II. *Darthmoutham expugnat.* III. *In quo portu navis Francica cum literis intercipitur.* IV. *Status partium in Occidente.* V. *Exonium denuo obſeſſum.* VI. Rex *pacem crebris literis urget.* VII. *Res in Staffordia & Ceſtria geſta.* VIII. Rex *abominatur Glamorgani ſecreta cum Hibernis pacta.* IX. *Belvoira deditionem facit.* FEBRVARIVS. X. *Ceſtria dedita.* XI. *Prælium Torringtonenſe.* XII. Fairfaxius *in Cornubiam penetrat.* XIII. Hoptoni *ſtatus in anguſtiis Cornubiæ.* XIV. *Princeps in Syllinas fugit.* XV. *Navis Hibernica cum literis Padſtoviæ intercepta.* XVI. *Cambri rebellant.* XVII. *Corfa proditione* Pitmanni *capitur.* MARTIVS. XVIII. Fairfaxius *Hoptoni exercitum ad ponenda arma, conditionibus invitat. Clades ad Columbum.* XIX. Hoptonus *tergiverſatur.* XX. *Pro pace nuncios mittit.* XXI. *In exercitus diſſolutionem conſentit.* XXII. *Militum humanitas & odiorum abolitio.* XXIII. *Copiæ* Hoptoni *omnes diſplicatæ & ſolutæ.* XXIV. *Cornubia recepta. Ejus Provinciæ deſcriptio.*

I. POſtquam in caſtris innotuit, Goringium ſolvendæ obſidioni intentum, copias ex Devonia movere, Fairfaxius, auditis

Ducum in Prætorio ſententiis, hoſti obviam prodire, & prælio decernere ſtatuit. In quem finem, parte exercitus relicta, quæ obſidionem urbis interea urgeret, reſiduæ Legiones Creditonam, inde Boveytraciam, flexo paululum Okehamptoniam, fallendis hoſtibus, itinere, ducuntur. Illis diebus nocturnæ paſſim per ſtativa velitationes, cum intenſum frigus campo militem conſiſtere non pateretur. Regii paſſim pulſi, in extremum illum Britanniæ angulum, qui inter duo maria longiſſime in Occidentem excurrit, ſe abdiderunt, nulla fugæ ſpe, cum retro hoſtis; à lateribus anguſtiæ montium, & ipſe Oceanus urgeret. Idque crebro captivi per ludibrium retulerunt; *inter proſpera ſe captivitatem referre; quod alias pereundum aquis fuiſſet.* Imperator, inſperabili hoſtium fuga animatus, jamque finem belli videns, perculſis inſtare, & immiſſis paſſim Legionibus, tota exturbare Devonia. Nec ante hi fugere, illi inſequi deſierunt, quam Tamar, qui fluvius Cornubiam à Devonia ſeparat, inter utroſque terminus eſſet. Ea occaſione Plymmouthum obſidione graviſſima liberatum fuit. Quippe regii, non expectato Fairfaxianorum propiori adventu, qui jam Totneſiam attigerant, deſertis munitionibus ſuis, & ſeptem tormentis, trepida fuga, in Cornubiam ſe ad cæteros receperunt.

II. Quo peracto, viſum Darthmoutham aggre-

aggredi, quod unum Regi in Devonia maritimum præſidium reſtabat. Nam & portus recipiendis auxiliis, ſi quæ ex Gallia vel Hibernia mitterentur, commodus; & ipſa urbs opibus gravis. Tum novis munitionibus, quamprimum terra degelaſſet, ad inexpugnabile robur deduci poſſe: idque conſilium à Rege captum. Igitur prævertendum ratus Fairfaxius, miſit qui urbem cingerent; moxque cum exercitu ipſe circa eam conſedit, Battenio cum claſſe ſua portum obſidente. Cum deditionis leges obſeſſi abnuerent, ſtatim decreta oppugnatio, promtis, quanquam acri frigore, militibus. Intus, cum æquo præſidio, centum tormenta, & commeatus armorumque magna vis. Contra Fairfaxius, ob aſpera viarum, nullis ſecum adductis tormentis, magno periculo ſuos exponere coactus fuit. Diſtributis ad ſingula loca copiis, undique urbs oppugnata fuit. Captæ eo impetu, unius tantum militis jactura, munitiones cunctæ, præter unam ad Orientalem fluminis ripam, Kingſvvorthium, & caſtellum. Eo ſe, quicunque ex urbe evaſerant, receperunt. Præfectus ex caſtello, ſcapha ad urbem provectus, ut exploraret quis hoſtium ſtatus eſſet, vulnere gravi accepto, receſſit. Paulo poſt Kingſvvorthium ab Henrico Caryo deditum eſt. Hæc noctu geſta. Orto ſole, caſtellum quoque in poteſtatem venit, ac duæ naves, quæ in portu de-

prehendebantur. Ex præſidio capti circiter CIↄ, ac cum arma ejuraſſent, dimiſſi ſunt, retentis tantum, præfecto Hugone Pollard, Comite Nevvportio, Tribuno Seymoro, & aliis Ordinum ductoribus. Imprimis exercita in Cornubios clementia; quorum quotquot in urbe, accepto viatico, ad ſuos redire juſſi ſunt. Ac ne quicquam ſupereſſet regiis in Devonia, miſſi qui CarolinamSaltcombenſem, Plymmouthenſibus infeſtam, & Corfam, caſtellum maritimum, in Portlandia obſiderent.

III. Præfectus urbi Rovvſius impoſitus eſt, evocatis Plymmoutho Iↄ præſidiariis, quod ea urbs bis millenis, qui reſtabant, contra omnem vim defendi poſſet. Ac dum exercitus ad obſidionem Exonienſem reducitur, navis Gallica, ignara urbẽ captam, portum plenis velis intrat; nec ante errorem ſuum agnoſcit, quam deditionẽ facere juſſa eſt. Attoniti novitate, quod pretioſiſſimum habebant, literas à Regina & aliis, in undas projiciunt. Quæ cum, miſſa ſcapha inveſtigarentur, fluctibus appulſæ, miro caſu, in manus venerunt. Ex illis intellectum, cunctam Regi ſpem in Galliis eſſe. Nam cum de Principe in Daniam vel Bataviam mittendo conſilia agitaret, Regina contraniti; & Franciam præferre. *Nec vero obſtare matrimonium cum filia Ducis Aurelianenſis. Nam & alii jam deſponſatam: & ſi Princeps in familiam potentiſſimam nuberet, magna*

exinde

exinde auxilia ſperari. Quod ſi adeo averſetur Franciam, *quocumque terrarum eum amandet, dummodo rebelles eo non potiantur.* Aliæ literæ ſpem magnam auxiliorum faciebant; & jam inſtructas naves, quibus ex Dartmouthenſi portu maria infeſtari & innavigabilia reddi rebellibus queant. Contra deprehenſum, diffidere Francorum promiſſis ipſos hoſtes; ac in Scotos potius inclinare, nulla impoſterum ſpe, ſi hæc ultima conſilia fallant. Quod ſuſpiciones, jam multum auctas per iniqua rumorum, intendit; & Scoti graviſſime tulerunt, fidem illis in publico, haud occulte, tribui.

IV. Poſt Dartmoutham non ſupererat potior locus Exonio, in quo exercitus occuparetur. Igitur, quanquam per iniqua viarum tempeſtatumque, reductus miles. Primam vim Pouldramum non ſuſtinuit. Hamondus ad id obſidendum miſſus, citius deditum quam oppugnatum audivit. Præſidiarii CXX, cum arma traderent, & militiam impoſterum ejurarent, dimiſſi ſunt. E veſtigio ad munitionem Puldramenſem, Exæ adſitam, propius urbem, in qua CL excubabant, ductæ copiæ. Ut jam urbs è propinquo obſeſſa eſſet, copiis Affingtoniæ, Staſſertoni, & per alios pagos, diſtributis. Regii, quanquam jactantius loquerentur, ſuas ipſi anguſtias non occultaret: paſſim fuga ac trepidatio. Cognitumque ex interceptis literis,

teris, niſi auxilia mature portarentur, amiſſam urbem fore. Una in neceſſitate audacia; cum in Cornubia, velut indagine cincti, erumpendum ſumma vi, aut pereundum viderent. Nec præceps & indies aſperior conditio moram ferre; cum plurimi ex caſtris, ex urbe, ad Fairfaxium, tranſirent. Et quamvis obſtinatas mentes, illa militum continentia, Ducum humanitas, emollivit; profeſſique ſunt; *dira & immania regios ſparſiſſe, humanis carnibus Fairfaxianos paſci, & ignibus captivorum toſta viſcera, laniare.* Quæ in vulgus credita, omnem Provinciam terrore impleverunt; & ſemel deprehenſa vanitas, tum ac poſtea, ludibrio fuit. Fairfaxius, quanto indigniora hoſtis objectaret, ſuos à vi & injuria continere, captivos domum remittere, & quos detineri à regiis noverat, minacius repoſcere. Nam Hoptonus Launceſtonæ Devoniorum complures in vincula conjecerat, partium odio; ſparſiſque per Cornubiam & Devoniæ borealia copiis, cuncta in Orientem evadendi occaſionum momenta ſpeculabatur. Sed miles in Grenvilium diſcors: atque hinc plurimum turbarum; inquietis pro Ducum affectu, caſtris. Parum in Principe, ſedandis motibus, adjumenti; & niſi ab uno regerentur copiæ, ſeceſſio metuebatur. Igitur in Hoptonum tranſlata poteſtas; eique parere Grenvilius juſſus. Ille indignari, alte loqui; denique imperata palam

palam abnuere. Quæ diſſenſio, ne ad militem tranſiret, Grenvilius in caſtellum Pendennis, deinde in Syllinas inſulas, pro captivo abdu-ctus eſt. Itá ſublata æmulatione, ſedatum incendium.

V. Inter hæc obſidio repetita; juſſuſque deditionem Barclaius facere. *Nam nullis ad manum ſubſidiis, defendi contra vim clariſſimum oppidum non poſſe, niſi multo ſanguine. Contra libertatem, & quicquid militi glorioſum, civi utile, ultro offerri. Quibus ſemel ſpretis, graviora imminere.* Barclaius, datis, ut tantum Ducem decebat, reſponſis: *Non ſe Deo diffidere,* inquit, *cui facile ſit urbem abſque miraculo liberare, tam potenti in proximo exercitu Principis. Eam, utcunque res cadat, pro Rege ſe defenſurum.* Nihil verba tum valuerunt inter armatos. Jamque, deſperatis rebus, ſcalæ ad oppugnationem congeſtæ, cum nunciatur, Oxonienſem equitatum, Corſam uſque, Goringium Barnſtabliam, proceſſiſſe, eo animo, ut omnibus copiis adunatis, cum firmo exercitu, Occidentem tutarentur. Id quod conſilia in caſtris turbavit, & omiſſa oppugnatione, in Dorſetiam & Devoniæ ſeptentrionalia miſſæ copiæ, occupando hoſte, donec motus ac conſilia ejus innoteſcerent. Qua occaſione milites Franciſci Draci, ponte Barringtonenſe ad Tamoram potiti ſunt, nonnullis regiorum indè abductis.

VI Hic

VI. Hic tum Occidentis ſtatus. Ac Oxonii, Rex, improſpero bello, pacem crebris ad Parlamentum literis urgebat. *Tranſmiſſis accuſationum inanibus, non ante ejus conſilia poſiturum, quam appareat, nullam omnino ejus obtinendæ ſpem relinqui. Quid enim hactenus, ſiſtendo civili ſanguini, à VVeſtmonaſterienſibus objectum ſit, quam bellum eſſe; ideo pacis omittendam curam? Huc illa ſpectare, quæ adeo exaggerent*; conſcriptum militem, Hibernos & exteros evocatos, Occidentem cum Scotia copiis hoſtilibus premi. *Bellum ſane commotum: nec ſe jam de cauſa diſceptaturum, quæ orbi cognitæ ſint. Quod Hibernos ſpectet, fruſtra toties ingeri. Pleraque inde auxilia Anglicæ gentis & Proteſtantium fuiſſe; qui contra rebelles eo miſſi, cum à Parlamento negligerentur, non ſua ſponte, ſed ultima neceſſitate adacti, trajecerint. Ab exteris gentibus, paucos vel nullos penes ſe: cum Parlamenti exercitus iis abundent. Quid amplius dubitent, finem bello, moderatis conſiliis, imponere? Ad eam rem, ſublatis impedimentis promte conficiendam, opus præſentia ſua; & ſi copiæ utrimque dimittantur, magno id adjumento fore. Quod à civitate & exercitu obſides poſtulet, mirari neminem debere. Nam & urbe ſe pulſum atque ejectum; & nec illam, nec hunc, niſi omnium ſeculorum exempla, leges ac conſuetudines genticas ſubvertant, Parlamento ſubjici. Religionem & Scotiam ſummæ ſibi curæ; ac ſi miſeriarum finem expetant, in pace cuncta ſita. Niſi*

tamen

tamen cruentas clades ei præferant, quod à pietate & modeſtia omni alienum ſit. Hæc tum Rex: qui Oxonii uſum Liturgiæ crebriorem, & jejunia ad diem Veneris, exemplo, ut loquebatur, primivitæ Eccleſiæ, Academicis injunxit. Ac conſtans aliquandiu rumor tenuit, Londinum venturum, non alieno communi, ſi in ſeptem conditiones ante conſentiret. Quæ erant, de abolenda Hierarchia, & ſtabiliendis Preſbyteriis; de bello Hibernico, militia, debitis publicis, pœna delinquētium; conferendis in bene meritos honoribus; privilegiis Londinenſibus confirmandis. Inter hęc, Oxonii Francica auxilia jactabantur; & impetratam in tranſmarinis regionibus magnam argenti vim. Nec extincta Montroſii expectatio, qui intra montes ſuos concluſus, nulla in Angliam veniendi ſpe, hibernis menſibus hæſit.

VII. In Staffordia centurio Stonius, cum ala equitum, Molineuxii ſtativa oppreſſit Carkæ, ſeptimo ab urbe lapide. Profligati regiorum CCC, captis tribus centurionibus. Eadem apud Mervinios fortuna Edoardus Vaughanus pugnavit, qui Numeyum, Dolgelliæ novas colligentem copias, primo adventu diſſipavit, ipſo Duce, cum multis aliis, capto. Nec in Ceſtria Breretonus ſegnis. Qui urbe ad extremam tabem deducta; ut jam equina ſe obſeſſi ſuſtentarent, literas Bironi ad Regem intercepit, qui-

quibus ſpes deditionis facta. *Nam urbem nonniſi ad Kal. Februarii, in tantis anguſtiis, defendi poſſe; ac niſi intra illam diem obſidio ſolvatur, accipiendas ab hoſte conditiones, & urbe excedendum.* Nondum tamen omnis auxiliorum apparatus evanuerat. Nam & Guilhelmus Vaughanus cum cIↃ IↃ equitibus in Cambria erat, quibus ſi Oxonii & Vigornii jungerentur, ſpes erat perrumpi caſtra poſſe, & commeatum importari. Fama quoque ſparſa, bis mille Hibernos in Angliſcia appuliſſe, contra quos, nondum cognito vanam eorum expectationem, copias quaſdam Breretonus miſit, quæ vel excenſione inviſum genus prohiberent, vel cum iis manus conſererent. VValeius cum ſua Legione ex Occidente remiſſus, recepto ad ſe apud Bridgnortham Eveſhamenſi & Gloceſtrienſi peditatu, in VVarvviciam movit, ut medius inter Oxonios & Vigornios, cuncta hoſtium diſtineret, ne junctis eorum viribus, Breretonũ diſturbaretur.

VIII. Rex, certior factus innotuiſſe Glamorgani cum Hibernis rebellibus pacta, ut illam à ſe invidiam amoveret, teſtatur; *Quicquid ille egerit, fœdum ac perfidum; quæ de juſſis obtendat, commenta eſſe. Datam quoque Digbio poteſtatem, ut eum Dublini Majeſtatis accuſatum, in carcerem conjiciat, donec legum vi in ejus acta inquiratur. Quod toties dixerit, repetere; coram de pace agendum. Ideo indultam Parlamento in ſeptem annos mili-*

militiam, ac cætera quæ ad regni curam ſpectent. Religionem, qualis Elizabethæ & Iacobi imperio fuerit, conſtituendam; ſic tamen ut teneræ conſcientiæ ſua libertate fruantur. Quod bellum Hibernicum & cætera ſpectet, quicquid Vxbridgæ poſtulatum, probare. Hæc ſpreta, argumentum fore cruenti animi, ac ab omni pace & quiete publica alieni. Meminiſſent illorum quæ toties olim profeſſi ſint. At jam verſas vices; & pacem non alio prætextu poſthaberi, quam armorum. Horrendum illud eſſe, quod ſanguinis fuſi rationes à Rege exigant. Denique tentata à ſe pro pace omnia; nihil impetratum intra quadraginta dies, niſi quod juſtiſſima poſtulata negarentur.

IX. Belvoira, poſt acerrimam obſidionem, tormentis fœde confracta, tandem deditionem fecit. Ea arx, totius Angliæ quondam pulcherrima (unde & nomen à Normannis accepit) in vertice montis, in quem gradus ſex & ſexaginta ampli ducunt, ſita, vicinos late colles, & plana camporum, deſpectabat, loci ingenio, & firmiſſimis mœnibus, valida. Gervaſius Lucas præfectus, cum ultra ejus defendendæ irrita conſilia caderent, conditionibus amplis & honorificis, præſidium c c Lichfieldam abduxit. Sic Lincolnienſis ager belli metu ſolutus, cum ad Nevvarkæ obſidionem, Eaſt-Angli, & qui Trentam accolunt, denſis agminibus coirent.

X. Kal. Februarii VVeſtceſtriæ deditio nobilitavit. Ea urbs toto bello pervicax, tot obſidionum ſuperſtes, tandem Beretoni militarem gloriam, feſſa oppugnationum, ultimis omnibus tentatis, adauxit. Datæ obſeſſis conditiones honorificæ; in quas eo promtius Brereton conſenſit, quod urbs, ſi per vim caperetur, ruinæ & excidio eripi non poſſet; & auxilia quoque in vicinia, occupatis formidanda, eſſent. Quippe Aſhleius & Vaughanus, copiis apud Bridgenortham conjunctis, expectato quoque Hibernorum adventu, pares ſolvendæ obſidioni videbantur. Contra quos Mittonus, cum delecta manu, interea miſſus, compulſis intra Denbigiam & Convvayum hoſtibus, Ruthenenſe caſtellum obſedit, quod haud diu poſt deditionem fecit. Quæ improſpera, cum obſeſſis innotuiſſent, nulla ob Glamorgium Dublini incarceratum Hibernorum ſpe, urbem Brerctono, iis quas imperaret conditionibus, permiſerunt. Præſidiarii Angli cum Birono Convvayum deducti. Hibernos, ob immanem in Proteſtantes crudelitatem, in vincula conjecit. Secuta per totam Britanniam ingens lætitia, non ob urbis potentiam, ſed quod Hiberni eo portu exuti, Angliam vix jam infeſtare, niſi ſummo ſuo periculo, poſſent. Atque ut omnis ille tractus hoſtium expers eſſet, quicquid caſtellorum regiis ſupererat, Havardia,

Holta,

Holta, Ruthenia, Dudleia, Lichfielda, uno tempore obſeſſa ſunt, cum paulo ante Aſhbydelazouchiam Haſtingius, deſperatione virium, & ſi ultima expectaret, certus familiæ indigna evitari non poſſe, Parlamento conceſſiſſet. Interea etiam Bamburios VValeius, oppidum ingreſſus, peditatu ex VVarvvicia & Northamptonia recepto, arctius preſſit. Eratque omnis Anglia, continuis velut obſidionibus impedita, ambiguo Rege, quorſum laceras copias, pari undique periculo, tot adverſis uno impetu ingruentibus, raptaret. Et quanquam fractis rebus, quaſi bellum inſtaurari poſſet, juſſi omnes, pecuniam, militem, arma, conferre. Teſtatuſque Rex eſt; *quamdiu vita duret, ſe jura ſua, Eccleſiæ, amicorumque ſalutem, exhauſta jam pacis ſpe, quam Parlamentum averſetur, propugnaturum.*

XI. Hoptonus, non neglecto Exonii periculo, per Cornubiam delectibus habitis, quatuor peditum millia Launceſtonæ contraxit, ac eo robore audacior, cum univerſis copiis Tamarem tranſivit, in Fairfaxium pugnaturus. Miſſæ ad obſeſſos literæ, quibus ad conſtantiam animati. Illis interceptis, jam certior Fairfaxius hoſtes Torringtonam perveniſſe, VVallero apud Exonium, qui obſidioni præeſſet, relicto, ſuos ad prælium caſtris educit. Difficilis ea profectio, tempeſtate, pluvia, arctis luto-

lutoſiſque viis, hoſte valido, & cunctis rebus ſuperiore, cum à tergo Cornubiam, Barnſtablium, totque alia præſidia, haberet. Prævaluit tamen neceſſitas publica, cum aut deſerendum Exonium eſſet, aut hoſtes Torringtona pellendi. Eo ubi ventum, captivi retulerunt, Hoptonum, communitis paſſim acceſſibus, cum octo millenis equitum peditumque, in oppido ſubſiſtere. Miſſi ſtatim qui hoſtem ad pugnam prolicerent. Illi, dum cunctos aditus rimantur, jam domo quadam, pulſis inde regiis, qui ea pro caſtello uſuri erant, potiti, occaſionem pugnæ dederunt. Quippe regii, immiſſis majoribus copiis ſua tutantes, cum Fairfaxiani quoque numero creſcerent, nocte interim ingruente, abitionem videbantur moliri. Ea opinione commotus Fairfaxius, quanquam ſtatuiſſet opperiri diem, ne in tenebris, nulla locorum notitia, inſidiis exciperetur, rem in caſum dare ſtatuit. Prælium per velites cœpit, qui cum ad munitiones regiorum propius acceſſiſſent, orto certamine, tres legiones attraxerunt. Ita cunctis copiis acerrime pugnari cœptum eſt. Ambigui per tenebras ictus, clamor paſſim, & ſtrepitus armorum. Statim res ad gladios haſtaſque deducta; cum illi perrumpere ſumma vi conarentur: hi vallum & ſepimenta ſua, non minori pertinacia, defenderent. Donec tandem, aperta armis via, primo pedites, deinde

equites

equites ingrederentur. Secuta regiorum fuga, qui occupatis pontibus, quantum in illa trepidatione fieri potuit, ſuos abducebant. In eo opere dum Hoptonus occupatur, equo confoſſo, vix evaſit; eratque toto oppido, per plateas & angiportus, confuſum certamen, cum regii equites, circuitu converſi, Fairfaxianum militem turbarent. Jamque is fugam circumſpectare, cum reliquis intromiſſis copiis, regii, deſperata pugna, oppidum deſeruerunt, defenſi fluminibus, & ipſo noctis beneficio. Pedites, abjectis armis, plerique evaſerunt. Captivi in templo, cum præſidio relicti, mox horribili ruina omnes perierunt. Nam cum ibidem magna pulveris nitrati copia ab Hoptono relicta fuiſſet, ſive fraude hoſtili, ſive caſu immiſſis ignibus, tota moles disjecta fuit, late ſparſis per plateas, & vicina camporum, ſaxis, ligniſque, & plumbi fragminibus, non abſque Fairfaxii periculo, qui tum haud procul templo erat. Ducenti eo caſu perierunt, & quidam Watſius altera die ruinis extractus, à ſe immiſſum incendium, ære accepto, confeſſus eſt. Pauci ex Fairfaxianis ea congreſſione cæſi ſunt, complures vulnerati. Ex captivis c c c c ſuperfuerunt. Cæteri confuſa fuga, fractis ordinibus, Cornubiam, unde venerant, repetierunt.

XII. Hac clade univerſus, qui in Occidente, Regis peditatus periit, cum ex tribus millibus,

vix cccc in Cornubiam reducti eſſent, cæteris, vel in prælio amiſſis, vel ex fuga, cum paſſim per ſilvas & avias ſe abdidiſſent, magno numero ad Fairfaxianos concedentibus. Ac ne recenti terrore ulla reſpirandi facultas eſſet, miſſæ Barnſtabliam & Holſvvorthium copiæ, quæ uſque ad Tamaram fugientibus diſperſiſq; imminerent, omnique Devonia pulſos, intra Cornubiam includerent. Nam poſt memorabilem hanc cladem, Fairfaxius, omiſſis interea Barnſtabliæ & Exonii obſidionibus, trepidum hoſtem inſequi ſtatuit, quo debellato, nec ſpes erat externorum auxiliorum, nec quæ ſupererant in Occidente præſidia, diu vim ſuſtinere poterant. Præmiſſus cum equeſtri ala Butlerus, qui Tamora ſuperato, VVebbii Legionem apud Strattonam oppreſſit, octoginta captis. Sic aperta via, totus exercitus Cornubiam penetravit. Ac ne militari licentia Provinciales offenderentur, inhibitæ ſeveris legibus prædationes & injuriæ aliæ. Quæ moderatio, præter gloriam conſervatæ regionis, animos quoque, hactenus obſtinatos, inflexit: cum laſciviam raptuſque militis regii, cum horum abſtinentia contenderent. Ita cum primo adventu, cunctis domibus deſertis, in avia diffugerent, quod nullam vitæ gratiam, apud infenſos hoſtes, relictam, regii perſuaſiſſent, idque à rerum ignaris crederetur: mox, deprehenſa vanitate, ad

ſua

ſua demto metu, reverſi ſunt. Launceſtona, oppidum Cornubiæ præcipuum eſt, inæquali loco ſitum, eoque contra vim imparatius; cum caſtelli munitiones adhuc imperfectæ eſſent. Et cum præſidio Baſſetus impoſitus, oppido deſerto, ſub famam adventantis Fairfaxii, militem abduxit. Ibi tranſacto biduo, Imperator ſumma cura providit, ne hoſtes, converſa in Orientem fuga, magno belli trahendi periculo, elaberentur. Ideo pars equitatus cum legionibus aliquot pedeſtribus, ad ripam Tamaræ, inhibendo tranſitu, collocata; & miſſi ad Cookium Barnſtabliam nuncii, qui ipſum intentiores agere vigilias juberent; ac ut hoſtem, ſi qua perrumperet, ſine intermiſſione perſequeretur & laceſſeret. Et ut explorata regiorum conſilia motuſque eſſent, Farmerus centurio, domum quandam Camelfordiæ communivit. His in præſens, pro rerum neceſſitate, conſtitutis, cum Saltaſchiam quoque regii deſeruiſſent, & Edgcomba, munitiſſimum caſtellum, deditionis ſpem feciſſet, Bodmanam uſque perventum fuit. Nec quiſquam dubitabat, quin regii, aperta per arenoſos colles lata via, in Orientem erupturi eſſent. Quod ſi fieret, jam in VViltoniam cum equitatu ſuo VValeius Oxonio progreſſus erat, ut exhauſtos fuga, antequam acceſſione virium formidabiles evaderent, interturbaret.

 XIII.

XIII. Hoptonus, ſive quod reduci in Orientem copias poſſe deſperaret, ſive auxiliorum ex Gallia vel Hibernia ſpe, omiſſo illo conſilio, ut inſequebantur Fairfaxiani, ita longius indies in Occidentem recedebat. Bodmanam, prima noctis vigilia, confeſſa trepidatione, deſeruit. Tantuſque terror Fairfaxii fuit, ut miles, toties cæſus, toties campo & munimentis exutus, fugam ſuam, nonniſi extrema Cornubia, & Oceano Atlantico, ſiſteret. Ac ſpectatum non abſque miraculo fuit, quadraginta pedites juſtis armis, à quatuor equitibus, apud Bodmanam in fugam actos, & in caſtra tractos. Apud Leſtithellam quoque, alii ſex equites, diſſipatis regiis, quatuor carpentis, quibus arma Foyam ducebantur, potiti ſunt. Nulla dies erat, quin complures undique captivi adducerentur; & non minimum fortunæ is videbatur debere, qui miſerias ſuas eo modo maturè terminaſſet, cæteris ad paria, vel etiam majora diſcrimina, ſervatis. Nulla jam fugæ ſpes; & ſi in mortem pugnarent, certa pernicies atque inevitabilis aderat.

XIV. Tum vero penitus conclamatum, poſtquam Principem in Oeſtrymnidum inſulas, quas hodie Sillyes dicunt, navigio profugiſſe innotuit. Eæ ab Artabrorum promontorio Oeſtrymni in Occidentem, amplius cxl numero, ex quibus decem majores, ſitæ ſunt. Stanni plum-

plumbique divites; atque ob id metallum, antiquiſſimo ævo, Phœnicibus navigatæ; unde & Caſſiteridas Græci vocavêre. Eas, deſperata Cornubia, anceps animo Princeps, paucis comitantibus, petere conſtituit. Miſerandum enimvero humanæ fragilitatis ſpectaculum; videre in exiguo latentem navigio, quem tria maxima regna, debitum ſibi Dominum adorabant. Ut in altum provectus fuit, tempeſtate coorta, incertum Sillynas an Hiberniam abriperetur, per triduum turbido mari fluctuavit: donec reddito cœlo, curſum, quem intenderant, tenuerunt.

XV. Edgcomba tradita, Fairfaxius, hoſte intra anguſtias ſuperi inferique maris, qua Britannia in exiguum Iſthmum coit, concluſo, ne in ultimo diſcrimine deſperationem in audaciam verteret, vias inſuper omnes & tranſitus, palis arboribuſque dejectis, obſepivit. Promta Cornubiorum ad id opera: & bellum terminare cuncti nitebantur. Igitur frequentes adeſſe, arma & obices ferre; fidem induſtriamque ſuam polliceri. Eo facto viſu ſunt priora odia expiaſſe; & venia in omnes data eſt. Ac crevit indignatio in regios averſioque, cum interceptæ ex Hibernia literæ, totum Glamorganæ pacis negotium, detexiſſent. Nauta VVaterfordenſis Allenius, expedita navi, à Glamorgio & Digbio ad Regem mittebatur,

 nun-

nunciatum, ſex millia Hibernorum ſub ſignis, ad trajectum parata eſſe; & ſecutura alia quatuor. Ea navis, ignara bellum intra Cornubiam geri, Padſtoviam invecta eſt. Oppidani, arreptis armis, & vicinia Fairfaxianorum altius animati, eam invadunt; & poſt brevem pugnam, capiunt. Primo furore plerique vectorum, quod vim oppoſuiſſent, conciſi. Allenius neci exemtus, ut ex eo intelligeretur, quis ſtatus Hiberniæ, quæve auxiliorum expectatio. Literæ undis extractæ; & Cornubiis prælectæ ſunt, qui averſati Hibernorum feram barbariem, arma ſe in quoſvis, Provinciam ſuam, ſpecie Regiarum partium invadentes, capturos promiſerunt.

XVI. Quis crederet, debellato Occidente, Cambriam aliquid auſuram? Atqui intumuit Glamorgania, & fuit quod poſt VViltoniam metueretur. Initium à Raglandiis factum. Iis Monmouthiam vaſtantibus, Morganus CC pedites, C equites miſit, qui præſidio Lenathi, tribus à Raglandia millibus conſtituto, vim & injurias prohiberent. Quod cum Carolo Kemiſhio Raglandiæ Prætori innotuiſſet, miſſis copiis, & Monmouthiam invaſit, & cæteros à præſidio conſtituendo deterruit. Erat illo tempore miſera Brechiniæ & Monmouthiæ facies, cunctis circa hoſtilibus. Unde paſſim tota Provincia fuga, & plerique, relictis domibus,

Briſto-

Briſtoliam ſe conferebant. Mox pacatam Glamorgiorum gentem Kernius, illius agri Prætor, magnificis promiſſis excivit. Additæ, in abnuentes, minæ ac violentia. Et ſpes erat Cardiffam extorquendi, qua arce occupata, liberi immuneſque à tributis eſſent. Capta impetu Svvanſeia: & Cardiffa, oppidum contra vim imparatum, haud magno labore, in partes conceſſit. Caſtellum firmi operis, cui cum præſidio Pitchardus præerat, omnibus ad ſuſtinendam obſidionem comparatis, primos furores infregit. Dum in oppugnatione ejus hærent, interea Skipponus, Briſtolia ſubmiſſis auxiliaribus alis, quicquid in vicinia copiarum, properis nunciis evocavit. Laughornius, deſerta Abariſvvaithæ obſidione, Morgano, & Trevoro Guilielmo adunatus, advolat. Nec leviter trepidatum, quod Kemiſhius Kernio junctus, equitum peditumque millia tria ſub ſignis haberet; aucto indies novis delectibus numero. Naves quoque ex Hibernico mari evocatæ; quæ cum in caſtelli conſpectum veniſſent, tormentis exploſis, ac vexillis diſplicatis, auxilia in propinquo eſſe ſignificarunt. Quod obſeſſis animos auxit: & Pitchardus milites ſuos in armis eſſe juſſit, ut hoſtis impetum, qui metuebatur, refellerent. Nec illis alacritas defuit; ac una voce profeſſi ſunt, arcem ad ultimos caſus ſervaturos. Non parum æſtus maris, tum

forte

forte intenſior, favit, unde factum, ut miles commode exponi poſſet, ac hoſtibus fuga intercluſa. Cumque regii intelligerent jam Laughornium adventare, caſtelli deditionem minacius poſtulant. Qua negata, copiis paullum abductis, inſtruuntur utrimque acies, cum illi numero, hi robore & peritia prævalerent. Kernius occupatis ſepimentis, tutus loco, inter primos propugnatores verſari; ſuos, manu, voce, exemplo, adhortari. Contra Laughornius in planicie explicare alas, & impreſſionem facere. Nec diu ſe adverſum agmen ſuſtinuit immotum. Fuga toto campo & cædes. Octoginta interfecti; captivorum ccc fuerunt. Sic in caſtellum ſubſidia venere: & tota nocte urbs tormentis concuſſa. Quæ cum oppidani non ferrent, de conditionibus actum, quas Kernius adventu ſuo abrupit. Quippe is, poſt primam cladem reparatis viribus, jam tota pene Auſtrali Cambria ſuccinctus, adventabat. Fit denuo prælium; & major imbellium ſtrages. cccc flumine merſi, I ɔ capti ſunt. Ita animi iterato contuſi, cœptorum pœnitentes, ſubſedere.

XVII. Corfam Dorſetiæ hactenus cum copiis quibuſdam circũſederat Cookius. Longa videbatur obſidio, & ob naturam loci difficilis; cum transfugæ conſpiratio felici auſu rem expedivit. Quidam Pitman Subtribunus, qui olim in Hibernia

bernia ſub Inchequinio ſtipendia meruerat, parata videns præmia, ſi deditionem anteverteret, conſilia prodendæ arcis inivit. Ainketillo (is præfectus præſidio erat) perſuadet, ut pro adducendis centum militibus in Somerſetiam mitteretur, quorum ope arx in longum tempus defendi, & obſidio irrita reddi poſſet. Ille, nihil ſuſpicatus, cum fidem hominis antehac ſæpè probaſſet, eum haud illibenter dimittit. Nec moratus VVaymoutham venit; ex eo loco & aliis Parlamenti præſidiis, centum milites colligit, cumque iis, Regios ſimulans ad caſtellum accedit. Ainketillus, non intellecta fraude, adventantes humaniter excipit, eo confirmatior, quod nonnulli militum Somerſetenſes eſſent. Apertis portis, circiter quinquaginta recepti. Cæteros excluſit, non opus ſibi tot militibus, aſſeverans. Cujus facti quæ cauſa fuerit, haud dixerim: niſi quis ſuſpectaſſe eum aliquid conjiciat: & pauciores, ſi quid molirentur, facile à pluribus opprimi poſſe. Dum hi portas claudunt, illi introire conantur, tumultuari cœptum. Pitmannus, indignam rem, exclamare. Adductos magno per medios hoſtes periculo, jam frigori & exitio objici. Interea, qui admiſſi, turres ac munimenta invadere, tamdiu ſe contra caſtellanos defenſuri, dum plures ſociorum, & ipſi obſeſſores irrumperent. Ea nox inter minas extracta fuit. Orta luce, cum

Fair-

Fairfaxiani ſuos in turribus viderent, voce manuque auxilium poſcentes, arcem invadunt. Regii, agnita proditione, ac diffiſi viribus ſuis, conditiones paciſcuntur. Quibus confirmatis, iterum ad arma converſi, pellere cæteros munitionibus conantur. Illi ſua acriter tutari; & facto ex caſtris concurſu; præſidiarii, ſolam vitam pacti, captivos ſeſe ſtitere. Sic firmiſſimum caſtellum, ſub quo tota tremebat Dorſetia, interceptum ac dirutum.

XVIII. Sed in Occidentem revertendum eſt, videndusque belli inter Fairfaxium & Hoptonum mirabilis exitus. Venerant jam regii ad ipſum Britanniæ ultimum promontorium, quod veteribus Belerium: hodie, quod Cornubiam terminet, Finem terræ dicunt. Ibi Oceano & hoſtibus undique cincti, nullo jam effugio, cum omnes perire poſſent, arma tradere & militiam Regis abjurare maluerunt. Id quomodo factum ſit, operæ pretium eſt exactius noſſe. Cum Fairfaxius, contra ſpem, hoſtes in illis anguſtiis eſſe videret, unde ſe emergere non poſſent, nobili conſilio, non prælium, ſed pacem ac conditiones obtulit. Igitur Bodmana non longius in Occidentem, ne res ad ultimum diſcrimen deduceretur, perrexit, ſed literas Truronem, ubi ſtativa, ad Hoptonum miſit, quibus poſtulabat, ut arma ponerent. *Nam eo neceſſitatis ventum, ut ne locus quidem fugæ ſuperſit.*

Paulo

Paulo poſt, ſi obſtinent partes ſuas, nec famem nec occidionem evaſuros. Adeo numen arma in cultores ſuos mota averſatum. Terminari abſque ſanguine controverſias poſſe, ſi à vi deſiſtant; & domum quiſq; ſuam, vel quo velit, diſcedat. Interea, dum ad has literas reſponſa expectantur, nunciatum fuit hoſtilem equitatum coire, & eruptionem moliri. Nam illa dies ultima erat, qua niſi evaderent, undique obſeptis viis, conatus omnes ac conſilia irrita forent. Eo ipſo tempore Provinciales convocati, quibus prælectæ literæ quas Padſtovienſes interceperant: adeoque commota ad Hibernorum adventum gens fuit, ut cuncti alacres auxilia ſua contra Regios promitterent. Ac in eo propoſito, magnis adhortationibus confirmati ſunt, quibus omnibus valentiores illæ ex Hibernia literæ, cum manum verbaque ipſa, nihil in ſpeciem confictum, viderent. Fatenturque omnes, numinis Providentia, eas tum in manus veniſſe, abſque quibus, ſuſpecta Cornubiorum fides, nullis facile argumentis, in partes & commilitium trahi potuiſſet. Sic firmatis à tergo, quicquid anceps & ambiguum, Fairfaxius altera die Bodmana Columbum, cœlo pluvio, progreſſus eſt, ac brevitate lucis excluſus, diſtributis per pagos copiis, ipſe Bodmani pernoctavit. Utque hoſtes pervigilio attriti tandem ſuccumberent, Richius cum delecta equitum manu Columbi eos aggreſſus, rem ad pugnam cam-

campeſtrem deduxit. Pertius, cum Legione prætoria, ſive diffuſus fugæ, ſive animi-contumeliæ inſolentis, ſuos extra oppidum in hoſtem rapit. Richiani in tres turmas diſtributi, non ſegniter venientes excipiunt. Illi ſtrenue aliquandiu rem gerunt, donec Pertius, perruptis primis ordinibus, grave vulnus acciperet. Eo capto, cæteri in fugam acti ſunt, cæſiſque XL, centum in poteſtatem venerunt. Pertius in caſtra ſemivivus ductus eſt, nihilque omiſſum, quod curando vulneri utile eſſet. Ex eo intellectum quis hoſtium ſtatus, ac ſi conditiones, Hoptono oblatæ, innoteſcant militi, deditionem promte facturos. Repertæ apud eum ad Oxonios literæ, quibus ultimas neceſſitates ſuas excuſant; *Ac nullis ad evadendum, vel pugnandum viribus, de ſua ſalute ſollicitos, conditiones abnuere non poſſe:*

XIX. Hæc nocturna clades adeo perterruit Hoptonianos, ut media nocte, longius in Occidentem profugi, cuncta recenti metu implerent. Hoptonus, excuſata mora, quod literis ob turbas illas reſpondere non potuiſſet, altera die, ambiguus verbis, ac rem in caſum & incerta rejiciens; ita ſe paratum arma ponere oſtendit, ſi pacis inter Regem & Parlamentum ſpes eſſet. *Nam ut illum, cui fidem jurarit, prodigus famæ, negligat, nec vim, minas, quicquid durum atque aſperum, impetrare poſſe. Eadem exercitus*

citus mentem. Deum ſane, adverſis ſucceſſuum, ob graſſantia ſcelera, partes ſuas nuper afflixiſſe; ſed nec proſpera, certum favoris ejus argumentum; & facile belli fortunam circumagi. Quod ſi vis placeat; cunctis animum ad extrema obfirmatum eſſe, & cruentam victoriam hoſtibus ſuis relicturos. Si pax; per octo utriuſque exercitus, tres Provincialium, delegatos, de conditionibus agendum. His lectis, Fairfaxius, certus rem extrahi in longum, ac interea expectari ab Hibernis vel Gallis auxilia, negat ſibi quicquam de pace inter Regem & Parlamentum innotuiſſe: nec ſpem ejus, quamdiu Rex tranſmarina auxilia ſollicitet. *Nam & Glamorganæ tranſactionis abdita, nuper Padſtoviæ intercepis literis, perrupta; & feſtinari Hibernos rebelles, qui Angliam invadant. Quod ſi quatuor vel quinque, non pluribus, miſsis, finem negotio imponere velit, nullam in ſe moram fore.* Simul legiones aliquot Tregnyam & Probum miſſæ, non amplius regiis vim opponere auſis. Nam cum Fairfaxiani ipſis appropinquarent, nec fugæ, nec pugnæ conſilio, ſubſtitêre, inducias pactas inclamantes. Et vix ea eximi perſuaſio potuit; juſſique ad ſuos, ſine damno in præſens, quod deceptos fuiſſe appareret, reverti.

XX. Hoptonus, ad ultima actus conſilia, medio noctis, pro pace mittit, ac locum nominat, Pontem Treſſilianum, ubi de ea ageretur. In quam rem, dum ea firmaretur, inducias, cum

utrimque conſenſum eſſet, delecti, qui altera die conditiones, ponendi arma, definirent. Nihilominus cum exercitu Fairfaxius Truronem progreſſus eſt; & ſignificavit Hoptono; *ſuos inde & Allena abduceret.* Adverſum id illi; & primo acriter renitebatur, nulla Fairfaxii remiſſione, quod tranſitu illo, qui Britanniæ totius arctiſſimus, potiri, multum intereſſet. Relicta Hoptono Allenia, qui copias ſuas, dato Fairfaxianis ſpatio, longius adhuc, & ad extimos Cornubiæ fines, abduxit. Iiſdem diebus complures militum tranſivere, ac una vice CXX ex Legione Trevaniani, quæ Periniæ ſubſiſtebat, in caſtra venêre. Quod reliquis animos demſit: & præfectus Mevveſii, de conditionibus & deditione agere cœpit. Id caſtellum valido ſitu, in ipſo Oceano jacet. Nam portus Falmouthenſis, duo utrimque caſtella firmiſſimi operis habet, quorum id quod ad Orientem, Mevveſium vocatur; alterum ei adverſum, in edita rupe, Pendennis eſt. His arcibus adeo obſtruuntur Falmouthi fauces; ut naves commeare non poſſint, illis adverſantibus. Nec parum commoti Pendenniſii ſunt, cum Mevveſios ad Fairfaxium inclinare innotuiſſet. Igitur Arundellius ſollicitare præfectum, eum ad ſe in caſtellum invitare, irrito ſucceſſu, quod vim injuriamque, ſi ſe illi, ſuſpectus fidei, permitteret, haud in vanum vereretur. Ita deditio ſecuta eſt, apertuſque

que Parlamento celeberrimus portus, cum hoſtes, ex Pendenniſio caſtello, parum nocere navibus poſſent.

XXI. Interea delegati per triduum de conditionibus diſceptabant. Fairfaxio fixum ratumque fuit, de ſumma poſtulatorum non decedere. Cætera, quæ inanibus accenſentur, facile tranſmiſſa ſunt, nec fractis addere dedecus viſum. Jamque permixti duo, paulo ante adverſi exercitus; & velut inter commilitones, amicæ voces, ut nec victor inſultaret, & victus modeſtius doleret. Illud gravius viſum, quod equi gregariis tradendi eſſent. Sed prævaluit fatum, & quod ſolum poterant, dum iis potiebantur, cum lucro meliores deterioribus mutabant. Nec preſſa pœnitentia, ob infelicem militiam, ac per vana rumorum ſe deceptos plurimi fatebantur. Ac quoniam ad exercitus hujus ſupremum diem perventum eſt, velut in obitu Heroum fieri ſolet, origines ejus ac progreſſus, denique finem, paucis expediamus. Poſt felicem Regis in Cornubiam ante biennium expeditionem, quæ Nuberienſi prælio temperata fuit, Goringius, Hoptonus, Rupertus, Grenvilius, magnis in Occidente copiis, ſed, ut inter plures ſolet, diſcordibus, hæſerunt. Donec Rex in unius nomen exercitus, ſub Principe Cambrorum, cunctos componeret, triumviratum quaſi obtinentibus Hoptono, Goringio & Grenvilio.

Et quanquam validiſſimus eſſet, nihil eo per integrum annum, ad ſummam rei, geſtum eſt. VVaymoutha, Plymmouthum, Tauntona, totidem obſidionum ludibria, quid niſi dedecus, fruſtratarum toties oppugnationum, oſtendunt? Poſt Nazebin., unicus hic Regis exercitus, Fairfaxiano haud impar. Unde in Occidentem belli tranſlata moles. Hinc ad Langportum Somerſetiæ, & per Devoniam multiplices, ac una Torringtonæ memorabilis clades ſecuta eſt. Donec munitiſſimis urbibus & arcibus in conſpectu ejus expugnatis, toto pulſus Occidente, in anguſtias Cornubiæ, velut carcerem quendam & clauſtra, compingeretur. Medio temporis ad contemtibilem, ex tanta multitudine numerum, redactus fuit. Nam cum in univerſum novem conſtaret alis, in XXIV Legiones diſtributis, vix millia quatuor ſuperfuerunt. Integræ Legiones frequenter non ultra centum numerabant. Ex tribus Gallorum legionibus, vix totidem gregarii. Ordinum ductores CIↃIↃ, milites nonniſi IICIↃIↃ. Ut vel exinde cladium ratio iniri queat, quibus tanta moles, ad eam maciem atque ſolitudinem, redacta fuit.

XXII. Poſt longam diſceptationem, perfectum tandem negotium fuit, & conditiones utrimque confirmatæ. Ex quibus præcipuæ fuerunt: *Vt ſine mora, exercitus, ſacramento & mi-*

litia

litia ſolutus, diſſiparetur, armis, equis, tormentis & impedimentis traditis. Galli regno excederent, & ſua ſecum auferrent, equis & armis demtis. Anglis liberum ſit, manere vel abire velint. Tribunis ac Centurionibus equi, pro dignitate, & arma relicta. Gregariis in eorum vicem viginti ſolidi dabantur. Erant & alia multa, quæ referre opus non eſt, cum inania ſpectent. Hæc, quanquam fama tanto exercitu indigna, domitis per tot adverſa animis, gratanter accipiebantur. Ac vix unius diei moram, tædio præſentium, ferebant. Certatim in caſtra confluere, ſeſe armaque tradere, abominari priora, fidem impoſterum, & fortia in Hibernos pectora, polliceri. Mirabile ſpectaculum, cum infenſiſſimi hoſtes coirent. Nihil in verbis vel geſtu aſperum. Velut in iiſdem vixiſſent caſtris, ita dextras jungere, & tuta familiaritate miſceri. Nulli vis illata; & tutior inter Fairfaxianos, quam Cornubios, miles. Qui injurias, raptus, & quicquid bello pertulerant, in exermibus, ſi qua poſſent, ulciſcebantur. Centum quoque ex Penriſio caſtello cum armis ſuis ad Fairfaxium tranſierunt. Quod præfectum eo neceſſitatis adegit, ut & ipſe conditiones Hoptoni amplexus, caſtellum traderet.

XXIII. Quinque dies abierunt, antequam omnes copiæ dimitterentur. Initium à Francis factum, quorum tres ſub Planio Le-

giones. Inde ad Clevelandii, VVentvvorthii, Grenvilii aliorumque Ducum, militem ventum eſt. Donec omnes diviſi diſplicatique, in diverſa concederent, trans mare, domum, in Hiberniam, & quo quemque animus, conſiliumq; ferret. Non ulla illuſtrior victoria parta, & quæ Nazebiano triumpho in ſumma nihil concedit, in multis etiam ſuperior eſt. Sine ictu & ſanguine, tot equitum millia, per montes & rupes, quibus omnis Cornubia implicatur, altis nivibus, acri hyeme, ad deditionem acta. Quod ſi mature in Orientem ex illis anguſtiis erupiſſent, bello in mediterraneis reſuſcitato, Occidens victoribus, nullo ad finem belli profectu, omittendus fuiſſet. Nec quicquam tam adverſum paci, quam ſi illæ, Gallis atque Hibernis oppoſitæ partes, tot portubus ad recipiendum militem commodæ, tot fluminibus & perpetua montium ſerie horribiles, tot munimentis inſtructæ, in poteſtate Regis manerent.

XXIV. Simul Cornubia recepta eſt, pervicax toto bello, & victoribus omni ævo inacceſſa Provincia. Quippe inter Cambriam & Aremoricam, qua Britannia ingenti lingua in Occidentem excurrit, peninſulæ forma ſita, cum cæteras partes Oceanus ambiat, qua Devoniæ jungitur, fluvium Tamarem, naturale munimentum, & recta ex Septentrione in

Auſtrum

Auſtrum tendentem, invadentibus opponit. Ab eo in mare protenſa, arctius ſenſim coit; donec minima apud Truronem latitudine, in extimum promontorium, de quo diximus, terminatur. Regio tota veterum Britannorum ſedes. Qui Saxonum metu, cunctis in Britannia perditis, in illo angulo, & quæ ad Septentrionem jacet, Cambria, tutas ſedes poſuerunt. Nec Normanni, quanquam infenſiores, libertatem extorſere. Plura, quam alibi, municipia, quorum ſingulis delegatos ſuos ad Comitia regni mittere, antiquo jure licet. Frequentes ad utrumque mare portus; & omnibus præſtantior Falmuthenſis. Gens ipſa Regi addicta: & principio ſtatim civilium motuum, ejus partes obſtinate ſecuta. Nec proſperæ in eam expeditiones aliquot; ac apud Leſtethillam, eodem quo nunc Hoptoniani equites dedecore, Eſſexii exercitus amiſſus. Ut haud fruſtra eam multi, tanquam fatalem averſarentur. Donec tandem, ſive belli tædio, ſive metu ſubacti, potiores partes amplexi ſunt. Multum juvit ſueta militi regio inſolentia, & exterorum odium. Quod crevit, cum interceptæ literæ, propediem plures ex Hibernia & Francia expectari, ſignificarent. Is metus exemtus eſt, Provincia confecta, & equitatu, in quo pedeſtribus copiis una ſpes, diſſipato. Ac ſi Hiberni in Cambria exſcenſionem facerent, paratæ ſub

Thoma Middletono copiæ, quæ Angleſeyam, & in ea Bellum Mariſcum, locum appellentibus commodum, tutarentur. Hoptonus, omiſſo Oxonio, ſive metu flagitii, quod copias negligentia perdidiſſet, ſive belli inſtaurandi tranſmarinis auxiliis cupidus, in Galliam conceſſit, eumque plures ſecuti ſunt. Ut ex tanto exercitu, vix quadraginta, cum Webbio, Oxonium, cladis indices, pervenirent. Neque amplius dubitatum, poſt hanc cladem, partes amiſſas: ac præſidia, ſine viribus, in deditionem certatim ventura. Jamque Perynium, & Ives, Cornubiæ oppida, armis ſumtis, Imperio obniti: & Exonium ac quicquid in Devonia, labare: ceſſurum victori, ubi primam vim ex propinquo admoviſſet. Princeps, intellecto exitiabili nuncio, diffiſus Syllinis inſulis, quo jam naves deſtinabantur, in Gallias eundi conſilium, poſt tot tergiverſationes, cœpit. Ibi multi variis caſibus Anglia ejecti, exulabant; & quod unum poterant, inter ſe, de auxiliis comparandis, & inſtaurando bello, agitare; magis in ſpeciem, quam quod ſpes, niſi in diſſidiis hoſtium, ſupereſſet. Quippe factiones Independentium & Preſbyterianorum acerrimæ tum: & quanto indies publica victoriis læta, eo infenſius domi contendere, fœdo exitu, niſi numen avertat.

Re-

RERVM BRITANNICARVM

Liber Septimvs.

Martivs. i. *Status Cornubiæ. Obſidio Pendenniſii.* ii. *Et Nevvarkæ. Denningtona dedita.* iii. Aſhleius *à Morgano profligatus capitur.* iv. Middletoni *in Scotia contra Montroſium res geſtæ.* v. *Regii Abbingtoniam fruſtra tentant.* vi. Aprilis. *Exonium & Barnſtablium deduntur.* vii. *Nevvarkæ obſidio. Scotorum & Anglorum mutuæ querelæ.* viii. *Oxonii obſidio.* Rex *fugam ad Scotos intendit.* ix. *Mons Michaëlis deditionem facit.* x. Rex *Oxonio ad Scotos Nevvarkam elabitur.* xi. *Cum iis, urbe dedita, in Septentrionem diſcedit.* xii. Maivs. *Oxonii obſidio, & urbis illius deſcriptio.* xiii. *Bamburia* VValeyo *dedita.* xiv. Ivnivs. *Oxonium deditum.* xv. *Ejus facti cauſa & eventus.* xvi. Ivlivs. *Vigornia & VVallingfordia deditæ.* xvii. Avgvstvs. *Raglandiæ deditio.* xviii. *Pendenniſii obſidio.* xix. *Arx illa* Forteſcuio *deditur.* xx. Fairfaxius *Maſſei copias dimittit.* xxi. Novembr. *Londinum, magnis honoribus exceptus, venit.* xxii. *Novi in Anglia, tumultuante exercitu, motus.*

I. SIc tota Cornubia, tribus tantum locis præſidio regio inſeſſis, recepta eſt. Jacturam exercitus ſecuta paſſim oppida munitioneſque, certatim in deditionem venie-

 bant.

bant. Et jam Barvico ad extremum Occidentis promontorium, tuta itinera, ac pacis ſpecies. Fairfaxius, nihil poſt tergum hoſtile paſſurus, copias ad obſidendum Pendenniſium ſub Ingoldeſbyo miſit, qui, dum munitiones caſtelli luſtrat, plumbo percuſſus, graviter ſauciatur: nec diu poſt ex eo vulnere obiit. Obſeſſi deditionem facere juſſi; Arundellio ferociter reſpondente: *Se potius ſenectutem ſuam in ruderibus ſepulturum, quam ut fidem Regi fallat.* Obſtinabant eum, qui intus erant, acres regiarum partium, Joh. Digbius, Killegrevius, & alii. Fairfaxiani, occupata Pennycome-Quick, mora pervicaciam frangere, & per otium, inani ob naturam rupis oppugnatione, adſidere ſtatuunt. Cumque una in portu navis, frequentia damna inferret, Battenius, miſſa ex claſſe alia, quæ noctu, ad Lunæ radios, nihil fulminantia ex caſtello tormenta morata, hoſtilem expugnavit. Hiberni omnes cæſi; in cæteros venia data. Ut totus fere portus penes Fairfaxium eſſet, munitione Dennis, quæ in faucibus ejus jacet, cum XXVI. tormentis dedita. Ita maris uſu & imperio exuti obſeſſi, terra quoque, interciſis Iſthmi anguſtiis, prohibebantur, cum duo ad utrumque latus firmiſſima caſtella, Mevveſium & Dennis, in manu eſſent. Sed invictus Michaëlis mons, medio ſitus Oceano, omnem vim, ſecura audacia, tum quidem contemſit.

II. Oc-

II. Occidentis fortunam Mercia ſequebatur, ubi, eodem ſucceſſu, præliis oppugnationibuſque, in Regios certatum. Breretonus, Ceſtria confirmata, Lichfieldam, urbem exigua jactura ingreſſus, ex propinquo obſedit. Nevvarkii quoque in anguſtias, perfectis munitionibus, compulſi; & apud eam crebræ, inter procurſores, velitationes. Semel aſperius pugnatum, cum CCCC equites, CIↃ pedites, caſtra Scotorum in Inſula adorti, aliquam, donec auxilia appropinquarent, ſtragem feciſſent. Ceciderunt tum ex Scotis centurio, duo optiones, octo gregarii. Plures vulnerati ſunt. In caſtris ante urbem Anglorum millia octo, Scotorum ſeptem erant. Intus equites IↃCC, peditum amplius mille. Tormentis Eboraco advectis, vera obſidionis facies cœpit, & fracta oppidanis obſtinatio. Qui impetum, quanquam munitiſſima urbe, veriti, deditionis conſilia agitabant, alieno præfecto, & in menſes aliquot, amplo adhuc commeatu, auxiliis ex Scotia promiſſis, obfirmato. Ita acceſſus ad munitiones ex caſtris facti, & miles, alacer operis; quanquam tormenta ex urbe, omnem viciniam perterrerent. Iiſdem diebus, interceptæ ab obſeſſis ad Montroſium literæ, quas transfuga quidam Scotus portabat, ſuſpendio, militari ſententia, confectus. Multæ tum per Provincias obſidiones; & hinc crebra expugnatio, cum ſingulis fere

ſere diebus, deditas arces oppidaque, nunciaretur. Hovarthia Mittono dedita; qui inde copias ſuasHoltam duxit. Higharchal quoque Salopienſibus conceſſit, præſidio Vigorniam dimiſſo. Nec Denningtona diutius reſtitit, quanquam eruptione in obſeſſores feliciter pugnaſſet. Quinquaginta ex Alberianis capti ſunt, viginti cęſi. Hoc velut ultimo facinore expleta audacia, Regii VVallingfordiam ſub Joh. Boyſio, abducti, caſtellum tradunt, magno Provincialium gaudio, quibus longo tempore infeſtum & grave fuerat. Quod ſi Alberius, numeroſam militibus, ob præſidia eo exonerata, VVallingfordiam cum ſuis obſediſſet, intra breve tempus, inſtructam commeatu & natura validam, rapere haud in difficili fuiſſet. Occaſio illa, dum miles ſtipendia moratur, ſemel elapſa, poſtea magno impendio ſtetit. Alberius certior factus, Oxoniorum IↃC Berceriam irrupiſſe, Bethvvorthium HamptoniæPrætorem in eos mittit, qui LXXX interceptis, cæteros in fugam egit. Nec quicquam in mediterraneis firmum, præter VVallingfordiam, Bamburin, & caput factionis, Oxonium. Bamburienſis præfectus, VValeyo deditionem poſtulanti, quod nulla ſubſidii ſpe, obſidionem in vanum protraheret, aſperè, ut irritatior, reſpondit: *Rebellibus quidem, ſe non niſi cum vita caſtellum Regis traditurum.*

III. Gra-

III. Gravia hæc damna, ſed toleranda, niſi ad ultimum diſcrimen rem Aſhleius traxiſſet. Is Hartleburiæ luſtratis copiis, quaſi Lichfieldam liberaturus, Breretonum, illi intentum obſidioni, excitavit. Et cum aliquandiu per Vigorniam & Salopiam vagus, arma in vanum circumtuliſſet; acceptis à Rege literis, Bamburin præceps contra VValeyum contendit. Eò antequam veniret, notabili profligatus clade, Regis ſpem exſpectationemque omnino deſtituit. Id quod hac ratione contigit. Cum innotuiſſet, Oxonios, junctis Aſhleio copiis, novi exercitus inſtar conari, Morganus, Birchius, Breretonus, ſe cum bis mille ſexcentis, ingruenti moli in tempore oppoſuerunt. Aliſburii quoque & Fleetvvodus imminere Oxoniis, ne qua ad Aſhleium, equitatu validum, ipſi auctis undique viribus, evaderent. Quippe relicto VVoodſtockæ Rainſboroughio, cum cIↄ equitibus, Oxonios retro in urbem egit, ac conſilia, quæ junctis viribus conceperant, irrita fecit. Interea dum Morganus Breretonum expectat, levibus diſtinere Aſhleium præliis contentus fuit, & eum impedire, ne Sabrinam trajiceret. Quod cum in vanum cecidiſſet, illo jam ad alteram ripam verſante, ultimum agmen carpere, palantes turbare, & inquietos habere, non auſus pugnam, niſi Breretoni receptis copiis. Quæ antequam adventarent, jam Stoviam progreſ-

ſus

ſus Aſhleius, ambiguum reddidit, Oxonio alia quam prælio ratione, averti poſſet. Placuit prælium: & ſummo mane, nondum orto ſole, patentibus campis, acies inſtructæ. Certatum, velut ultimo prælio, feſtinata fortitudine. Regius, ira ac deſperatione metuendus, bis ordines perrumpere, & in fugam oppoſitos agere. Contra alii ruentes ſuſtinere & acrius refellere. Nec illam viciſſitudinem ferre potuerunt Aſhleiani, fortuna cauſæ, toties fugere aſſueti. Ita poſt brevem pugnam victoria parta. Paucæ turmæ totam infregere aciem. Hinc trepidatio, fuga, cædes, captivitas; & confuſis inſtare Morganus. Interemti c c, mille ſexcenti capti ſunt; inter quos complures primorum ordinum ductores, & ipſe Jacobus Aſhleius, ac paulo ante, Carolus Lucas interceptus; bellica laude clariſſimi viri, & maximis perfuncti dignitatibus. Nec vocem preſſit, magnitudine doloris, Aſhleius; actum de partibus dicens, niſi inteſtina victorum diſſidia collapſam rem reſtituant. Vulnerati, domum quiſque ſuam, remiſſi ſunt, ne inopia medicamentorum, perirent. Parlamento, præter duos optiones, & gregariorum non multos, pauci deſiderati. Rovvſius Eveſhamiæ præfectus, inter ſaucios primus fuit. Ex tanto numero, haud multi Farringdonam ac Oxonium evaſere: totaque vis equeſtris, quam tot clades Regi, ad ultimum prælium, reſiduam fecerant,

cerant, hoc uno caſu conciſa periit. Poſt eam victoriam, ſtatim Vigornia à Breretono & Birchio obſeſſa eſt, ac deditio poſtulata, quod omnibus profligatis regiorum copiis, in vanum eſſet auxilia ſperare.

IV. Rex, nullo malorum fine, quod ſolum reſtabat, iterum pro pace ad Parlamentum mittere, multa polliceri: *Londinum, fide pro ſe ac amicis accepta, reverſurum. Cætera, dimiſſis copiis, & generali venia indulta, ex voto gentium, haud dubie ſucceſſura.* Sero hæc, tamdiu poſtulata, ingerebantur: & nulla, niſi in diſſidio, Scotos inter ac Anglos, ſpes. Altæ jam ſuſpiciones, præfractis Independentium & Preſbyterianorum factionibus incitatæ, nullo moderamine. Atque has Regii acrius incendebant, cum nunc illis, nunc his, exitio utrorumque, faverent. In illis contentionibus, nihil à bello remiſſum, & exciſi quotquot regias partes ſequerentur. Nec illæ in Scotia, quam Anglia feliciores. Middletonus, Rincardina, Montroſii arce, in qua factioſorum magna manus, ſitu ac opere valido caſtello, expugnata, complures eorum in poteſtatem redegerat. Inde parte copiarum Calendermoulitham miſſa, eam cum alio præſidio Alberoughilla, deſertam repererunt. Validæ Mac Nobiorum, & Mac Gregoriorum familiæ in deditionem redactæ, cum, venia indulta, arcem Ednampliam ſe tradituros, & pro Parla-

Parlamento in armis fore, promitterent. Ab alia parte Scefordius ac Sutherlandius, junctis cum Mac Glandio in Moravia copiis, quæ quatuor millium erant, regios perſequebantur. Eo tempore Iacobus Canadus, Montroſio à ſecretis, interceptus fuit, una cum Imperatoris ſui gladio, quem antiquitate ac religione patrum venerabilem, ſuperſtitioſius colebat, & cui victorias cladeſque ſuas adſcribebat. Is ante cccc annos, fortiſſimi equitis, Ioh. Græmii fuerat, & poſtea Montroſianæ familiæ monumentum. In Hibernia quoque rebelles damnis affecti. Rob. Moultonus, cum I ɔ c c c claſſiariis exſcenſione facta, Dingleyum, cum caſtello, in quo gravis reperta præda, expugnavit. Inde Limmericam progreſſi, ea urbe tentata, montem Roſſenſem munitionibus firmarunt.

V. Ac ne ullo adverſo caſu victoriæ turbarentur, Abbingtonia quoque depulſi Regii ſunt. Eam urbem, jam diu Oxoniis ob viciniam gravem, furto tentare viſum, & dolus adeo ſub initia ſucceſſit, ut jam perdita videretur. Quippe cum bis millenis equitum peditumque, vergente in diem nocte, oppreſſis excubiis, tum forte, ut in proſperis, negligenter agentibus, portas ingreſſi, foro potiuntur. Nec quiſquam dubitabat, intromiſſo equite, oppidum amiſſum; cum pauci, primo ſub

Blun-

Blundello equites, hoſtem adoriuntur. Compluribus, orto per plateas tumultu, ad arma ruentibus, acre certamen, media urbe, oritur. Regii haſtis ſuis contra equitem tuti, diu vim ſuſtinuerunt; donec perrupti terga darent. Ea fuga cæteros, qui jam viam ſibi aperuerant, avertit. Trepidis adhuc rebus, elapſi Londinum nuncii, cuncta terrore implent, cum plures captam; alii pugnantem adhuc, & ambiguas res, aſſererent. Et jam conſultatum in Senatu, quæ manus ingruenti ex vicinia hoſti opponenda; quibus copiis præſidium illud recuperaretur, cum ſervatam, recentiſſima fama confirmat. Ita metus exemtus, ac Oxonii aucta indignatio, cum culpam in varios, ancipiti criminatione, qui adfuerant, conferrent.

VI. Hæc dum in Oriente fiunt, Fairfaxius, pacata Cornubia, Trurone Bodmanam, Launceſtonam, Okehamptoniam, continuis profectionibus, Exonium copias reducit; & urbe circumdata, deditionem per literas à Iohan. Berkleyo poſtulavit. Ingeſta contra Hoptonum, abſque ſanguine & labore parta victoria; ac ſi vim expectaret, gravia imminere. Nec ulla in Berkleyo aſperitas; qui de conditionibus per decem à ſua parte agi voluit, quorum, ne inutili multitudine res extraheretur, ſex tantum admiſſi ſunt. Poultimoræ conventum; & poſt longam de Clericis contentionem, urbs iis con-

 ditio-

ditionibus dedita, quas victor præſcribebat. Cunctis, qui excederent, libertas ſua permiſſa; ac quicquid gloriam militarem ſpectat. Briſtolio tres menſes conceſſi, intra quos res ſuas conſtitueret. Poſt illud tempus Anglia excedere ipſi integrum fore. Multum is, ætate ac curis exhauſtus, ab illo mentis vigore, defecerat. Princeps Henrica, juſſu Regis, Richmondiam deducta eſt. Interea Fairfaxius, non expectata urbis deditione, Tivertonam contendit, Barnſtabliæ obſidionem viſurus, quod unum in Devonia Regis præſidium erat. Nec illa victorem diu morata eſt, quanquam firmiſſimis valida munimentis; eaſdemque in univerſum, quas Oxonienſes pacti erant, conditiones amplexata eſt.

VII. Non eadem mens Lichfieldiis, Bamburiis & Nevvarkiis fuit. Qui, quanquam omnium rerum inopia, & tot oppugnatoribus preſſi, ſua defendere, deditionem abnuere: ac fama gloriaque ad poſteros, quod ultimi regias partes ſuſtentarent, egregia fortitudine multa facinora fecerunt. Ac quamvis Hoptonus, Aſhleius, & tot Occidentis urbes caſtellaque ingererentur, immobiles hæſerunt. Et Nevvarkæ quidem, objectis contra erumpentes caſtellis magniſque molibus, Trenta, qua urbem ad Septentriones alluit, depreſſis canalibus, in aliam partem averſus eſt; illudque

latus,

latus, cætera flumine tutum, & haud operoſe contra vim munitum, invaſioni patuit. Et jam obſeſſos, præter cætera mala, peſtis vaſtabat, cum fames quoque, alimentis mora conſumtis, & aquarum averſione nullo molarum uſu, graviter incubuit. Nec alia ſpes tam aſpera ferre ſuaſit, quam quod contentiones inter Anglos ac Scotos acres eſſent, & hinc expectatio motuum. Quippe Scoti, crebris ex Septentrione querelis, ob militum licentiam, modo non ſoluta ſtipendia, modo neglectam Religionem & pacem, querebantur. Quibus Parlamentum reſpondit: *Summæ ſibi ſemper curæ fuiſſe, ut Scotico exercitui ſtipendia numerarentur. Ob eam rem tributa Provinciis imperata, & biennii tempore, amplius ducenta librarum millia, præter alias ingentes ſummas, ſolutas. Nec ſe commemoraturos quantum ipſi pecuniæ per Provincias extorſerint. Exaudiri miſerrimorum gemitus, qui ſe indigna perpeſſos, cum lacrymis referant. Vnde mirum non eſſe, vaſtatis Provinciis, languida pro tributis ſtudia, & averſas mentes. Nec ipſos ſpei ſatisfeciſſe, cum otioſi, optimo anni tempore, nullo hoſte, Septentrioni incubarent. Non eo fine evocatos; & ſi federis tam obſervantes ſint, cur Novocaſtro, Tinmouthæ, Carleolis, ſuum militem impoſuerint? Quod de Religione objectent, vanum eſſe, cum hactenus in eo negotio laboratum ſit, & ſi quid in diſciplina labet, conſiliis & tempore, non impetu corrigendum.*

Inflammavit odia libellus, incerto authore, in Parlamentum illis diebus ſparſus;& quanquam ambiguo argumento, in Buchanani crimen vertit, qui Londino in caſtra ſuorum elapſus, invidiam abſentia declinavit. Ipſum ſcriptum, lata ſententia, manu carnificis, in foro combuſtum; & criminationibus reſponſum eſt. *Calumniis initio belli à Regiis preſſos: nunc ab aliis, prætextu diverſo, idem fieri. Verba, actiones, conſilia, quicquid pro publico geratur, ſuſpicionibus obnoxium. Infanda jactari, tanquam in hoſtes generis humani, qui nulla Regis, nulla Sacrorum cura, fœdam tyrannidem, & omnium ordinum confuſionem, moliantur. Præcipuam in Eccleſias calumniam flecti: cum tamen Preſbyteria decreta ſint. Nihil à ſententia Synodi, niſi quoad delegatos, variatum, quos ipſa neceſſitas, & regni leges exigant. Neque hanc ſe poteſtatem Magiſtratui auferre poſſe; quod omni ævo, cura Religionis penes eum fuerit. Pacem quæri iis conditionibus quas præſens rerum ſtatus flagitet. Neque eam turbare Scotos debere; cum penes Parlamentum ſumma in Anglia Reipublicæ poteſtas ſit. Eandem ipſis in Scotia libertatem ſemper conceſſam.* Hæc & alia tum dicebantur, magnis in vulgus diſſidiis, ob Eccleſiæ regimen, & impoſitos Parochiis delegatos, qui cuncta ad Parlamentum referrent. Neque unquam Anglia inquietior, cum factiones graviſſime ſe exercerent, ac res ad tumultum paſſim per Provincias

vincias ſpectaret, Preſbyterianis in Scotos, odio Independentium, pronis.

VIII. Interea Oxonium à Fleetvvodo & Iretono arcte cinctum erat; jamq; facies obſeſſę urbis. Aucta rerum pretia, noctu effractæ domus, vis, rapinæ, cædes graſſabantur. Clauſæ, occupatis in circuitu ædibus, viæ, commeatu avertendo. Stativa Kidlingtonæ & Yeartonæ poſita, ac miſſi qui Boſtolios ab excurſionibus prohiberent. Ita potentiſſimus Rex, penes quem ante paucos annos belli paciſque arbitrium fuerat, tribus exutus regnis, intra unam urbem, triſte mortalibus ſpectaculum præbebat. Conſumta ultimæ neceſſitatis conſilia. Nihil præter captivitatem reſiduum, ſi expectato Fairfaxii adventu, quæ ſola reſtabat, fugam ſibi adimi pateretur. Primo tentare militem viſum; & miſſis ad Fleetvvodum nunciis, paratum ſe oſtendit, data fide, in caſtra venire. Sed Tribunus, gnarus eam rem ad Parlamenti jura ſpectare, abnuit. Quod, quanquam non improviſum accideret, conſilia fugæ maturavit, jam miſſo ad Scotos Nevvarkam Monſtreulio Gallorum Legato. Igitur, circumſpectis quorſum ea potiſſimum capienda eſſet, tandem Scotica caſtra prævaluerunt. *Nam Hiberniam infidam longiuſque diſsitam, nec in ea partium ſpem ſupereſſe. Cætera quoque omnia intuta: & ſi Londinum iret, non preſsiſſe Parlamentum minas, ac ignominiam metuendam.*

tuendam. At vero Scotos in propinquo, ad quos ſine magno periculo elabi queat. Nec dubitandum; quin, gliſcentibus contra Anglos diſſidiis, acceptus in ea gente, & procul omni injuria, futurus ſit. Id magno ad pacem, vel ſi res ita cadat, novum bellum, adjumento fore. Atque hæc ſententia impoſterum rata fuit, nec de ſucceſſu dubitatum, cum plures per ſingulos dies, data abeundi licentia, ex urbe in caſtra tranſirēt. Actum ante cum Scotis ea de re ſit, an ipſis ignaris Rex advenerit, haud pro certo dixerim, cum varia differātur, & res in abdito lateat. Dum hæc conſilia fervent, non levem in VVoodſtockæ oppugnatione cladem Rainſboroughius accepit. Qui impatiens moræ, & ob reſponſa præfecti irritatior, militem ſcalas ferre, & munitiones conſcendere jubet. Præceps id facinus multo ſanguine ſtetit, cæſis ultra XXX, compluribus vulneratis. Scalæ amplius LXX amiſſæ. Ita Ducis temeritatem miles luit, quanquam, ut fit, culpa in varios conjecta, qui ſegniores fuerint, nec undique caſtellum corona circumdederint.

XIX. Nondum Devonia Fairfaxius exceſſerat, cum læti eum nuncii aſſequuntur, Montem Michaëlis, quod alterum in Cornubia Regis præſidium, deditionem feciſſe. Locus ille non Angliæ tantum, ſed totius orbis munitiſſimus, commodo portu, uberi piſcatura, longe à continenti, medio mari ſitus. Non niſi refluente

fluente æſtu terra acceſſus ad eum datur. Cætera Oceano cinctus, & duriſſimæ impoſitum rupi caſtellum, omnem vim, ſi fames abſit, magna ſecuritate ſpernit. Præſidio Antonius Baſſetus præerat. Qui perditis rebus, matura deditione ſibi conſulere ſatius ratus, quam obſtinatione hoſtem accendere. Igitur, quanquam in aliquot menſes trahi obſidio poſſet, pactis conditionibus, Hamondo arcem tradidit. Ea occaſione Hamiltonus, poſt longæ captivitatis tædia, in libertatem vindicatus, Londinum rediit. Quippe Rex, ſub initia motuum, ſuſpecto haud parum Hamiltono, quaſi regnum affectaret, eum in arce illa, tanquam tutiſſimo loco, ab aliquot annis captivum detinuerat. Eodem fortunæ impetu Dunſtera, Titburya, Aberiſtvvaitha, illud Blackio, alterum Breretono, tertium Laughornio, deditionem fecerunt. Ruthini capti gloria penes Mittonum, ſummæ virtutis Ducem, ſtetit. Atque iis ſucceſſibus cuncti animati, quicquid ſupererat tota Anglia præſidiorum, ſimul exſcindere aggreſſi ſunt. Nam VVodſtockam Rainſboroughius, Oxonium Fleetvvodus & Iretonus, Lichfieldam Breretonus, Vigorniam Morganus, Ludloviam Birchius, Bamburin VValeyus, uno tempore obſidebant. Miſſæ contra Raglandios copiæ, quæ infeſtos tota VVallia prædones tamdiu comprimerent, donec major opponi pervicacibus multitudo poſſet.

 X. Fair-

X. Fairfaxius, Occidentis illuſtriſſimus victor, cunctis ad profectionem comparatis, ultimæ expeditioni, qua finem bello imponeret, animum intendit. Pedite & impedimentis Exonio præmiſſis, ipſe biduo poſt, Chardam inſecutus eſt. Ibi de ſtatu Oxonienſium exploratores retulerunt, cuncta de Rege ambigua, quam partem peteret. Illud certum, urbe non expectato arctiori obſidio, exceſſurum. De Scotis, conjectura haud vana, ſed tum adhuc incerta fuit. Inde per Dorſetiam & VViltoniam celeri progreſſu contendens, Andoveræ intellexit VVoodſtokam Rainſboroughio deditam, atque ipſam Nevvarkam de conditionibus agere. Nuberiæ dubitatio de Regis exceſſu confirmata. Quippe is, ultimo auſu, memorabile facinus aggreſſus eſt, & confecit. Nam habitu in ſervum mutato, capillis ſubſtrictis, raſa barba, Aſhburnhamum cum ſarcinis inſecutus eſt, atque ita, ignoratus cunctis, felici temeritate, evaſit. Is rumor, primo varie per univerſam Angliam, diverſis ſententiis, jactatus. Mox, ut in caſtris Scotorum receptum innotuit, mutati animi, & illis pulcherrimum facinus videbatur: alii, tanquam indignum majeſtate, criminabantur. *Nam quæ tandem illa pervicacia ſit, omiſſo Parlamento Angliæ, ſpreta gente, ad Scotos contendere? Si pacis ulla cura ſit, cur eam per conditiones, quas amplecti, præter neceſſitatem temporum, ſalus publica*

blica ſuaſerit, oblatam, contemnat, & belli nova inter federatas gentes incendia quærat?

XI. Interea Nevvarkii, intellecto Regis adventu, & jam ad extrema deducti, conditionibus urbem tradiderunt. Rex primo ad Legati Gallici ædes divertit. Inde feſto militum applauſu, Southvvellam in caſtra venit. Idque ſtatim Anglorum delegatis ſignificatum, ac ſcriptæ Edinburgum & Londinum ad Ordines literæ, quibus de inopino caſu certiores redderentur. Angli poſtulabant, ut Southvvellæ maneret. Ille Kelhamum, ubi major Scotici exercitus pars, dubium ſua ſponte, an impulſu aliorum, conceſſit. Mox Scoti, varia cauſſantes, movere caſtra, Regem ſecum abducere. Et diſceſſum feſtinavit ſparſus de Cromvvelli adventu rumor, quem cum omni equitatu in Septentrionem feſtinare, nunciatum fuerat. Atque eo prætextu, ſive verus is fuerit, ſive per incerta quæſitus, Scoti in Eboracenſem agrum copias reduxere, excuſato abitu: *quod Nevvarka ad deditionem compulſa, nullum jam ſui in Anglia uſum videant. Regem vero ſicut ſponte in caſtra venerit, ita exercitum, nec ſuadente quoquam, neque etiam vetante, ſecutum.* Poſt Regis Oxonio diſceſſum, complures eadem ratione libertati ſuæ, bellorum pertæſi, conſuluerunt, Lenoxius, Lindſayus, & alii inſuper, ſummæ dignitatis viri, qui VVoodſtokam, vel ad Iretoni caſtra,

ſe receperunt. Quod argumento fuit arctas in civitate res, & ubi exercitus adveniſſet, viſque in oculis foret, haud difficulter in deditionem, qui reſtarent intra, conſenſuros.

XII. Kal. Maji univerſæ in conſpectum urbis copiæ venerunt. Stativa Garſingtonæ poſita, ibique ad exercitum, vulnere curato, Skipponus reverſus fuit, acclamatione militum, & gaudio in caſtris, exceptus. Memorabile fuit, ea ipſa die, qua ante annum exercitus in campum primo eductus, urbem obſideri cœptam. Quodque primum opus, judicio multorum, eſſe debuerat; id numinis Providentia, in belli finem rejecit. Copiis Burlingtonæ luſtratis, Heddingtonam, Marſtonum, & in alios circa urbem pagos, diſtributæ ſunt. Tum explorata in circuitu urbe, Imperator & primorum ordinum ductores, obſidionem gravem, longique temporis, deprehenderunt. Quippe ingentibus ad ſummum robur munimentis deducta, loci ingenio ſic comparata, ut cuncta propugnatoribus tuta, eademque adverſa invadenti eſſent. Ac quoniam nobiliſſimæ urbis extrema attigimus, pauca de ejus origine ſituq; ſupra petēda ſunt. Oxonium, veteris Merciæ princeps urbs, non antiquitate minus, quam ſplendore ſuo, pręcæteris, gloriatur. Inter Iſin & Charvvellam, loco, niſi qua Septentriones reſpicit, humili planoque ſita, crebris collegiorum molibus,

quas

quas majorum pietas eruditioni ſacravit, conſpicua, digniſſimas Muſis ſedes præbet. Non ulla toto orbe celebrior Academia, & ſi multas alias in unum componas, huic ſoli, opibus & majeſtate, pares non erunt. Collegia in univerſum octo & viginti numerat, regio apparatu, & magnis in literatos viros impendiis. Nuſpiam elegantior doctrina: & quæ alibi per partes ac fruſtra quæras, hic ſingula occurrunt. Talis in pace fuit. Non bello inferior; & turbatis Angliæ rebus, aliquando Procerum, plerumque Regum ſuorum fortunam ſecuta eſt. Teſtis Henrici III ætas, ubi una hæc urbs XV Scholaſticorum millia pro Baronibus, contra Regem armavit, iſque exercitus omnium acerrime multis pugnavit præliis. Poſtea Edoardi III. ævo, amplius triginta millia, qui literis operam darent, numerabantur. Quod illis ſeculis minus mirum, cum clerici dimidiam fere regni partem conſtituerent, & innumeri propterea tantum Scholas frequentarent, ut Sacri Ordinis immunitatibus, quæ ingentes, fruerentur. Hæc vetera. Papiſmo Edoardi VI. regno expugnato, veram demum eruditionis ac pietatis faciem induit, quæ brevi & ingloria Mariæ dominatione obducta, iterum clarius ſub Elizabetha emicuit. Ac tum ingentes illæ animæ, & complures fama orbi noti, in ea floruerunt. Donec ultimis Jacobi annis, maxime Laudi Cantuarienſis

impe-

imperio, haud parum, cum juventus, indulgentia & exemplo corrumperetur. Sub primos civilis belli motus, Regem ſecuta, partium ejus caput eſſe cœpit. Ut quod alteris Londinum, his Oxonium eſſet. Ibi aula, ibi regia ſedes: Inde conſilia, inde opes petebantur. Lectiſſimi procerum ac Ducum eam frequentare; ſpes ſucceſſuſque ſuos in ea ponere. Nec toto, poſt Londinum, regno, aptior belli ſedes; quod medio Provinciarum ſita, in omnes partes emittere, eademque recipere auxilia poſſet. Hinc magnis initio ſtatim molibus contra vim munita fuit, & ultimo anno crevit induſtria, cum cæteris in circuitu amiſſis, ultimum belli præmium foret. Flumina, objectis cataractis, vicinos inundare campos aſſuefacta ſunt. Ut cunctis camporum ſtagnantibus, nonniſi ad Septentrionem extra adiri poſſet; cætera impervia militi, & inacceſſa eſſent. Vallum altitudine ſua & crebris caſtellis, cum pali, foſſæ, & quicquid impeditum, adderentur, formidabile. Nec impar tanta urbe præſidium, millia quinque, præter equites, veterani fere milites, ac bellorum periti. Tum in longum commeatus, arma; quicquid ſuſtinendæ oppugnationi commodum. Præfectus Thomas Glemhamus, vir in defendendis urbibus maximi & animi & ingenii, quod Eboracum & Carleolæ teſtantur. Tum duo Palatini Principes, tot alii, ſingulorum exerci-

ercituum Ductores, ac Eboracenſis Dux, magnum militi incitamentum, erat.

XIII. Fairfaxius, nec difficultate à propoſito dimotus, nec in temeritatem & vanos conatus rem dans, caſtra ſua communire, & vallo circumdare ſtatuit. Munitio prima ad Heddingtonenſem collem intra triduum excitata, amplo ambitu, & qua peditum millia tria reciperentur. Flumen Charvvella apud Marſtonam ponte ſtratum, indeque vallum ad Iſin productum, interjectis paſſim caſtris, quorum in univerſum quatuor fuerunt, in Rainſ boroughium, Lambertum, Herbertum, diſtributa. Horum operum cura Skippono, magnæ in iis experientiæ viro, commiſſa; & conſtitutis caſtris, miſſæ ad vicina loca copiæ, Farringdonam Robertus Pye, Radcotam Cookius, VVallingfordiam Painus: alia inſuper manus Vigorniam deſtinata. Ut uno tempore Anglia hoſtili metu liberata, pacis ſpeciem, poſt tot aſpera civilium bellorum, indueret. Quæ dum fiunt, Bamburia, poſt trium menſium obſidionem, VValeyo ferociam ſuam ſubmiſit. Illa arx, quanquam vetuſtate jam gravis, ad immane robur, ſitu loci & novis deducta operibus, omnem toto bello oppugnantium vim irritam fecit. Nec vana fuerunt prodigia, patenti cœlo ante ſexdecim annos, pugnantium latè militum, ut cadebant, ut inſtabant, illo oppido, cum tremore conſpecta agmi-

agmina. Semel amiſſum caſtellum, non ulla recuperari arte potuit, donec fatali poſt Nazebin converſione, publicam belli fortunam ſequeretur. Sæpius obſeſſa, & totidem vicibus, cum clade oppugnantium, liberata fuit, quod late in Northamptoniam & VVarvviciam extenſis tributis, Oxonienſibus utiliſſima eſſet, vix per XVIII millia ab ea urbe in boream ſita. VValeyus cum CIↃ peditibus, & CCCC equitibus obſidione tentata, factis acceſſibus, poſt longas difficultates, per foſſas ac munitiones, infra hoſtem ſtetit, cui non alia arma, quam lapidum, & globorum ignitorum manu jactus, proderant. Et quamquam obſeſſi cuniculos contra agerent, deſperata mora, de conditionibus agi cœptum, arxque parum luculentis conditionibus dedita. Milites ſine armis diſplicati. Guilh. Comptono præfecto; poſt duûm menſium ſpatium, libertas data regno excedendi. Hic finis Bamburiæ fuit.

XIV. Fairfaxius, cunctis in circuitu perfectis operibus, deditionem urbis à Glemhamo poſtulavit. Eadem die Borſtalii, Radcotii, VVallingfordii, ſed minacius, ab obſtinatione deterriti ſunt. Glemhamus ſub initia Iohan. Mounſonum, & Phil. VVarvvicum miſit, qui cum Rainſboroughio, Harlovio, & Lamberto, ea de re conferrent. Summa fuit; *miſſuros ad Regem. Ejus ſententia cognita, quæ in rem præſentem*

ſentem forent, actum iri. Aliena hæc ab Imperatoris propoſito: & is tempus quæri, cuncta in eventum rejici, non ignorabat. Sed ex literis, & per exploratores cognitum, diviſis intra mentibus, plures deditionem velle, ac integras conditiones, dum occaſio detur. Idque non minimum profuit, cum admota interim vi, indies major apud obſeſſos deſperatio; & quanquam ſuis freti munitionibus, multa criminarentur ac ſpernerent, non diuturnam fore obſtinationem, judicatum. Poſt paucos dies utrimque miſſi qui de conditionibus diſceptarent. Unus ex Glemhammianis, Georgius Bynion, quod à Parlamento generali venia excluderetur, rejectus fuit. Cæteri admiſſi, alta admodum propoſuerunt, & quæ omnium judicio admitti non poterant. Nam & Regis mentem exquirere, & ſumma in cæteris libertate uti voluerunt. Quæ cum Parlamento ſignificata fuiſſent, ut inania, tranſmiſſa ſunt, juſſuſque Fairfaxius vim propius admovere. Medio temporis Centurio, mutato in piſcatorem habitu, cum literis ad Regem interceptus fuit, ex quibus innotuit, nullam obſeſſis ſpem; ac quoniam proceres, quibus cuncta poteſtas data ſit, in deditionem conſentiant, minores militi animos, cedendumque fato publico. Igitur miſſæ ad obſeſſos conditiones, & de illis denuo per Legatos diſputatum fuit. Cumque iterum ſpes irrita

irrita caderet, hoſte alieno, convocatis in Prætorium Ducibus, frequenti Senatu, deliberatum fuit; ac ſtatutum, non vi & oppugnatione, ſed conditionibus, vel oblatis vel conceſſis, urgendos Oxonios. Multæ hujus facti cauſæ. Præter loci inſuperabilem naturam, plura adhuc caſtella urbeſque Regiis inſeſſæ: tum miſſus in Galliam Aſhburnhamus ſuſpiciones intendit, de excitando bello agi. Scotia quoque atque Hibernia, ſuſpectabantur: & ſi ante fortiſſimam urbem exercitus tempore conſumatur, multa interim, publico adverſa, incidere poſſe. His atque aliis rationibus, iterum miſſi, qui cum obſeſſis diſceptarent, & inſumtis aliquot diebus, tandem in conditiones utrimque conſenſum fuit. Quodque plurimi ſtatuebant, cæteras arces Oxonii fortunam, velut impares moli, poſtquam hæc defeciſſet, ſecuturas, Faringdona comprobavit, quæ iiſdem conditionibus, ſimul deditionem fecit. Longum eſſet referre omnia, quæ pro milite, pro civibus, pro Principibus, pro aula, pro Academicis, tranſacta ſunt, & ex tot jam, quæ præceſſerunt, urbium deditionibus, argumentum peti poteſt, complura Oxonios, Princeps tota Britannia præſidium, obtinuiſſe. Qui poſtmodum pacta criminati ſunt, duo imprimis tetigerunt, dimiſſos qui venia excluſi fuerant; & nullo juramento, quotquot exceſſerunt, devinctos.

XV. Ita

XV. Ita urbs urbium, toto bello intacta, & in ſpeciem potius, quam violentius obſeſſa, victorum juri ſe quoque permiſit. Ad diem dictam, præſidium militari agmine, per diſpoſitos Fairfaxianorum ordines, magna utrimque modeſtia, abductum fuit. Nec illis diebus aliud quam excedere, arma ponere, militiam deſerere: cunctis maximæ urbis fato perterritis, cum jam penitus amiſſæ partes, & debellatum videretur. Ac miles regius, ultima ſuper omnes ignominia accepta, cum urbs, nullo memorabili facinore edito dederetur, vix à vi & manibus temperavit, graveſque in magnatum præcipuos, qui cauſa præcipitis facti, voces ſparſæ. Nam eventu comprobatum fuit, ſi in unum diem protracta deditio, pluvia tum tempeſtate, & campis paſſim inundatione ſubmerſis, deſerendam caſtrorum partem fuiſſe. Dux Eboracenſis, magnæ ſpei Princeps, Londinum ad regiam prolem, deductus eſt. Palatini, Rupertus, & Mauricius, regno exceſſuri, cuncta ad abitionem præpararunt. Magnum ſigillum, aliaque Majeſtatis inſignia, tuto loco,in Bibliotheca publica, repoſita ſunt. Miſſi ad Regem nuncii qui eum de tota re certiorem facerent. Quod criminationes attinet, ita iis ſatisfactum; ut diceretur Scotos quoque apud Carleolas, nullo excedentes juramento preſſiſſe. *Et quo minus ad pœnas Reipublicæ hoſtes*

trahi potuerunt, in cauſa oppoſitam vim, tot munitionibus & armis vallatam. Nec enim expugnari urbem, niſi maxima utrimque jactura, ac tot monumentorum, totiuſque Academiæ excidio, potuiſſe. Cuncta regni decora tormentorum furori & ignibus objicienda. Interea, tempore per clades & exercitu conſumto, auctis diuturnitate oppugnationum regni malis, ſolam ultionem præmium fuiſſe, quæ abunde, publico bono, & pace parta, rependatur.

XVI. Quis poſt Oxonium crediдiſſet Vigorniam contumacem fore? Atque reſtitit illa, ſimulque in Occidente Raglandia & Pendennis, non alia ad poſteros gloria, niſi quod ultima victoriarum acceſſio fuerunt. VValeyus, amoto Bamburiæ metu, Vigorniis premendis miſſus eſt, dum Morganus cum Gloceſtriis ſuis Raglandiam incubaret. Vigornii, velut integris adhuc rebus, alte loqui, & plura quam Oxoniis indultum, poſcere. Auxit animos, quod peditatus inopes obſeſſores, nondum urbem ex propinquo, & violentius terrerent. Nam paucæ ad manum à Salopiis, VVarvvicenſibus, & Northamptoniis copiæ, vix continendis intra munitiones obſeſſis pares, ne aperta popularentur, & commeatus, longioris belli materiam, importarent. Ea neceſſitate intellecta, Imperator, Oxonio dedito, Rainſboroughium cum peditatu, quantum ſufficeret, eo contendere jubet. Qui mandatorum haud ſegnis,

ſegnis, excitata intra triduum munitione, quæ multum oppidanis nocebat, rem ad conditiones deduxit. Quippe verebantur, ne tergiverſatio, invalidum ultimis rebus præſidium, in noxam verteret: & cum Oxonium, non expectata ulteriori vi, conceſſerit, quis in aliis præſidiis feſtinationem culparet? Dimiſſus cum præſidio, integra libertate, Henricus VVaſhingtonus: nec quiſquam, præter Guilh. Raſſellum, venia excluſus. Eodem armorum ſucceſſu VVallingfordia ſuccubuit, novis eo deſtinatis copiis, quarum vim laceſſere inutili pervicacia non auſi, conditiones, quales fere cæteris indultæ urbibus, amplectuntur. Sed parum abfuit, quin res in caſtello ad ſeditionem militarem deduceretur. Cujus metuens Thomas Blackius, præſidio præfectus, miſit in caſtra, & maturius, quam convenerat, arcem tradidit. Ita introducta per Iackſonum Legione, tumultuantes metu compreſſi ſunt, ſecutaque, ut pactum, deditio.

XVII. Non eadem Raglandiis & Pendenniſio facilitas: ac auſa duo caſtella totius Angliæ vim aliquandiu contemnere. Raglandia Auſtralis Cambriæ munitiſſima arx, ſub VVorceſtrii præſidio, regias partes, toto bello, infenſe tutabatur. Nec profuit oppoſita per Trevorem Guilielmum & Morganum cIɔ Iɔ manus, cum intra Iɔ c c c eſſent. Unde & cre-

 bris

bris eruptionibus certatum, non abſque mutua clade, cum ab his illiſve, optimus quiſque, ardentibus præliis, caderent. Facti à centurione Hoopero, experto rerum militarium viro, acceſſus: foſſæ profunda uligine, ipſumque flumen, ſuperatum. Et crevit oppugnationis aſperitas, cum bis mille, ex Fairfaxianis caſtris, pedites, adventaſſent. Ipſe Imperator, Bathoniæ valetudinem curans, dignum præſentia ſua opus ratus, advolât: & coram inſpectis munitionibus, oppugnationem urget. Valida jam intus fame, & conſumto pabulo, equi catenis vincti, ne ſe mutuis admorſibus laniarent. Miſſis ad VVigornium literis, deditio imperata, niſi ſolus, cum cætera omnia paci reddita eſſent, quieti invidere, & ſuo exitio cauſa parſque eſſe mallet. Qui, ſenio gravis, eoque meticuloſior, multa verba facere, quiritari fortunam ſuam; obteſtari per avitam amicitiam Fairfaxium, parceret exhauſto annis, à vi & injuria domum infenſoſque prohiberet. Miſſis remiſſiſq; frequentibus nunciis, eadem ſæpius repetita ſunt, cum Marchio abſque Regis juſſu præſidium ſe dimittere poſſe negaret; ſibique à Parlamento, conſcius quæ objicerentur, metueret. Sed fruſtra tum verba fuerunt, cum obſeſſores molibus ſuis & cuniculis indies longius progreſſi, ſtructo tormentorum ſuggeſtu, pilas igneas immitterent, capique intra paucos dies arx poſſet. Ita VVigornius,

Parla-

Parlamenti judicio & gratiæ ſe in ſolidum ſubmittens, conditiones, quæ proponebantur, acceptavit: & militi libertas regno excedendi, niſi ad ſua reverti mallent, indulta. Ad diem dictam Marchio, cum filio ſuo Barone Charley, Comite Glamorgania, aliiſque egreſſus, arcem opibus gravem, Fairfaxio reliquit. Nihil jam in Cambria, præter aliquot leviores arces, quas Mittonus obſidebat, brevique expugnavit, adverſum: & jamdudum Lichfielda quoque Breretonum victorem admiſerat, templum tota Anglia munitiſſimum, & multis caſtellis robuſtius.

XVIII. Sicut terris, ita quoque bello ultima Pendennis fuit, eo pervicacior, quod mari impoſita, recipere ex Galliis ſubmiſſas copias, patenti portu, facilius poſſet. Nihil eam tot urbium arciumque exempla terruerunt; & quanquam nulla Regis potentia, Principem adverſo littore poſitum, reſpectare. Battenius decem lembis, noctu in oſtio portus, ne auxilia vel nuncii importarentur, excubabat. In continente, cuncta Forteſcui armis & munitionibus inquieta. Princeps, invicti caſtelli magna cura, conquiſitas per Galliam cum auxiliis naves, in Normandiæ portu Malo, obſeſſis oſtendere, quæ adverſantibus ventis Morleyam ejectæ, ſpem deſtituerunt. Nondum obſtinatio Arundellium: & ſi ſecundior aura faveret,

veret, intra diem adeſſe expectatas copias poſſe, certus, ad extrema conſilia animum obfirmavit. Interea ſollicitareForteſcuium: daret mittendi ad Regem Principemve, ſaltem civilitatis obtentu, licentiam. Quod cum haud obſcure negaretur, miſſa cum literis ſub Julii finem ſcapha, quæ arctas res, & ni propera auxilia, perditas ſignificarent. Nihil eo tempore importatum; niſi quod lembus cum aliquot vini doliis, furto portum illapſus eſt. Unde in caſtello gaudium ingens, tanquam cuncta ſubveniſſent, quod quam inane, ita mox evanuit, & ultima intus macies, moderatiora tumentibus animis ſuaſit.

XIX. Legatus Regis Caſtiliæ, cupidus militum ad bellum Flandricum, per eos dies licentiam poſtulavit, quoſdam ordinum ductores, qui Papiſtæ erant, alloqui, & eos cum excederent caſtello, in partes ſuas, nullo ipſorum in Anglia uſu, ſollicitare. Non abnuit Forteſcuius: & inani officio tranſmiſſo, illius profeſſionis homines, alicubi terrarum, quam in Britannia eſſe, præoptabat. Auditis rationibus, ac fide data, reſponſum ab obſeſſis: *Nondum præſenti ſervitio exemptos. Quod ſi contingat, ſecundum Angliæ Regem proximum fore Hiſpanum, cujus ſtipendia mereri velint*. Hinc tota nocte caſtellum late in maria ignibus prælucebat, quibus auxilia è longinquo dirigerentur, quorum

rum ſingulis horis anxia expectatio. Prodigi pulveris, intra biduum amplius ducenta tormenta, nullo memorabili damno, in obſeſſos emiſerunt. Nihil adhuc auxiliorum in conſpectu, & una ſcapha iterum clandeſtino portum invecta, trepidationem obſeſſis auxit, cum fruſtra Galliam ſperari, nunciaret. Ita animi ceciderunt: & Arundellius miſit qui de conditionibus agerent. In quas, poſt vehementem diſceptationem, conſenſum; ac ultimo Regis præſidio cuncta militiæ decora, & quicquid captis urbibus ſolet, indultum fuit. Præſidiarii, nullo Regis exercitu vel præſidio in Anglia reſiduo, arma Arvvinchæ poſuerunt. Hic finis belli fuit, quod toto quinquennio in Anglia variis caſibus geſtum, tandem expugnatione Pendenniſii numen terminavit; niſi illius gentis inquieta ingenia, & ſcelera, novum ex cineribus incendium ſuſcitent, quod jam paſſim volitantibus ſcintillis, haud in vanum prudentes metuunt. Sed qui hactenus, cum miraculo, & orbis indignatione, res Britannicas moderatus eſt, idem conſequentia curæ habebit. Nos jam, haud parum tot caſibus & militiæ laboribus fatigati, ad finem operis properamus.

XX. Sic deletis & exciſis hoſtibus, Imperator, gloriæ ingens, ſed modeſtia major, juſſu Parlamenti, Oxonio in Occidentem remiſſus eſt, ut Maſſei copias, perfecto bello, dimitteret,

ac fideliſſimis, pro ſtrenua opera, nomine publico, gratias ageret. Ad Devizas, ubi ſtativa erant, intra octiduum, perfecta res. Bis mille quingenti equites, promta obedientia, vexillis ſuis valedixerunt; & quanquam non omnibus ſtipendiis in numerato, nullus per caſtra tumultus exarſit. Magna Maſſei laus reputabatur, cui curæ fuit, ut cuncta pacato ſucceſſu finirentur. Multi militum in remotiſſimas orbis partes, Syriam, Ægyptum, Æthiopiam, unde venerant, retroceſſerunt.

XXI. Nihil jam reliquum, niſi ut Angliæ ſoſpitator, Londini gratantibus populi votis ſe exhiberet. Toto Imperii ſui ſpatio, abſens illa urbe, nullo revertendi, niſi cum pace, animo, tandem medio Novembre eo contendit. Cives, partim deſiderio magnum bellatorem videndi, partim juſſu Magiſtratus, omnes armati, obviam ad aliquot millia proceſſerunt. Sequebantur complures, immoderati affectuum, & cujus fortitudine triſtibus exemti periculis erant, eum impenſius mirabantur. Plenæ viæ, tota urbs in occurſum effuſa, & altius intra ædes privati gaudebant, quod pax non ambiguis quærenda conſiliis, ſed felicibus parta armis, brevi tota inſula expectaretur. Ita urbem, ſpecie triumphi inductus, Parlamentum, gratitudine monſtranda occupatum, deprehendit. Altera die, Proceres Mancheſtrium; comitantibus Northumbrio,

brio, Pembrokio, & aliis, miſerunt, qui adventum gratularetur; & pro præſtita regno fideli opera, impenſe gratias ageret. Secutus ex communi Lenthallus, qui meditata oratione, ita eum allocutus eſt: *Non opus conquiſitis verbis, ad extollenda quæ publico bono geſſerit. Ipſam, comparatione ejus, antiquitatem laborare: ac veterum res, ſi perquirantur, paribus exemplis deſtitui. Nec ultra dubitatum iri apud poſteros, veterum Heroum bello geſta, poſſe vera eſſe, poſtquam unus ipſe omnium gloriam atque admirationem exhauſerit. Quod ſi fata regni, plures ſucceſſu temporũ Imperatores poſcant, non alio quam Fairfaxii nomine, appellandos: qui idem quod Romanæ genti Cæſar, & Auguſtus, Britannis ſit. Te,* inquit, *Imperator, orbis mirabitur, poſteri colent; ac Senatus Populuſque Anglorum meritis tuis parem gratiam cum reddere nequeat, omnem ſe tibi debere fatetur, tanquam numinis inſtrumento, per quod incredibili ſucceſſu arma noſtra terminata ſunt.* Magna hæc gloria, quam per modeſtiam ipſe auxit, Deo, quicquid pro Republica geſtum, ſoli tribuens. Nec ſegnior civitas fuit, quæ & ipſa, adventum tanti Imperatoris, miſſo oratore, fauſta congratulatione, & aliis ad poſteros monumentis, excepit. Haud diu in urbe moratus, mox argentum cum præſidio ad Scotos in Septentrionem ducere juſſus eſt, illudque negotium Skippono, datis ſex legionibus, commiſit, qui media hyeme No-

vocaſtrum ad Tinam profectus eſt.

XXII. Finis belli videbatur, cum nova erupit tempeſtas, non omnino improviſa, ſed quam averti indulgentia poſſe, judicatum fuit. Scoti, accepto argento, Angliam pacato agmine deſerunt, & Regem Parlamento tradunt. Ille tot bellorum ſuperior miles tumultuari; &, quod cuncti mirantur, ſummos viros, per otium, ne quies foret, accuſare. Hinc ſecuta per totam Britanniam miſerabilis conditio, cum, quorum ſpectata bello virtus, & in Rempublicam fides, ſolum verterent, cedentes ingruenti violentiæ. Quis tantum exciverit motum, ambigue diſſeritur, & fama vulgatior hunc deſignat; rerum prudentes totam facinoris culpam in alium conferunt. Milites jactantia virtutum, & ferocibus poſtulatis, aſperavere conſilia: ac cum moderatio quæreretur; ipſi, præſentibus armis, & admoto Londinenſium urbi terrore, cogitatis ſalubribus obviam ivere. Holmbyam Northamptoniæ, cum cuſtodia Rex tenebat. Inde per vim abductus, & ereptus Patribus, pacem deſtituit. Eo potiti factioſi, graviora minantur; ac conqueſti compoſita turbata, accuſationes intendunt. Neque dubium erat cedendum, cum miles accenſus, ditiſſimæ urbis prædam affectaret. Nihil toto bello fœdius perpetratũ. Promtum fuit eo tumore animorum, optimum quemque ſubvertere. Nil niſi fuga & exilium: cum maxi-

maximi Duces, VVallerus, Maſſeyus, Poynzius, furori cederent. Sequebantur quos Independentibus adverſos reddiderat illa cunctorum ſchiſmatum licentia. Ipſe urbis conſul cum ſenatoribus in carceres compacti, nullo manifeſto crimine. Indies ſæviora erumpunt. Extrema omnia imminent, quamdiu decreta Senatus, pro lubidine paucorum,& militari audacia,circumaguntur. Adeo à profeſſis initio belli deſcitum eſt.Dum Hibernia ſub rebellum inſatiabili gladio vix animam trahit: dum Palatinatus fidem Anglorum & cœlo terraque teſtibus promiſſa auxilia expectat: ipſi privatis odiis, & bello confecto, inertia contabeſcunt.Expreſſit miſerrimam vocem ſeria indignatio; & iraſcantur libertati qui velint; id mihi conſcius ſum, Deum talia facinora abominari; ac authores gravitate ſupplicii ad poſteros exemplo fore, quantum crimen ſit, patientia numinis ad laſciviam & inania motuum abuti. Sed piget tranſmarinam inquietudinem ultra proloqui, jam confeſſo opprobrio, vim, fraudes, perjuria, raptus, fœdiſſima bella,atrociſſimam barbariem,ſeculo noſtro in Europa regnare. Sanctius apud Turcas vivitur, & talia ſcelera Oriens ignorat. Nam & hoc dicendum eſt,poſtquam nulla æqui rectiq;cura, incertum reliquimus, deterior ſuccedere ætas queat,an hęc omnium ſeculorum malignitatem exhauſerit.

FINIS.

ARTICVLI

Procerum & Municipiariorum in *Angliæ* Parlamento congregatorum, *De firma & bene fundata Pace*, ablegati ad Regiam Majeſtatem *Novocaſtrum* & ſignati decimo quinto Julii 1646, à *Ioanne Brown*, Cler. Parlamentorum.

M*Ajeſtati Veſtræ placeat*;

Nos Proceres & Municipiarii in *Angliæ* Parlamento congregati, nomine & ex parte Regnorum *Angliæ* & *Hiberniæ*, & Deputati à *Scotiæ* Parlamento, nomine, & ex parte Regni *Scotiæ*, Supplices offerimus Majeſtati Veſtræ humilia poſtulata & Articulos de firma & bene fundata Pace, in quibus Veſtræ Majeſtatis aſtipulationem ſupplicamus; utque hi & omnes ſupplices libelli Majeſtati Veſtræ offerendi in horum vel cujuſquam horum proſecutione, ſanciantur & decernantur ut Statuta & Acta Parlamenti Veſtrâ Regiâ aſtipulatione in Parlamentis utriuſque Regni reſpectivè.

I. *Quando ambæ Parlamenti Domus, ſuſcipere bellum ad juſtam & legitimam ſui defenſionem coactæ, & poſtea utrumque Regnum* Angliæ *&* Scotiæ, *ſolenni Liga & Fœdere ad idem proſequendum conjunctum fuit; Vt per Actum Parlamenti in utroq; Regno reſpectivè, Cuncta juramenta, Declarationes, & Proclamationes hactenus latæ aut poſt ferendæ, adverſus utramque Domum Parlamenti* Anglicani;

glicani; *Parlamentum Regni* Scoticani *vel Ordinum* Scotiæ *Conventum nuperum*, *vel Deputationes à Parlamento vel Ordinum* Scotiæ *Conventu manantes*, *vel eorum Statuta & Actiones*; *vel adverſus quenquam quod illis adhæſerint, functi vel proſecuti ſint quicquam officii*; *muneris vel mandati ab eorundem authoritate derivati*; *Et cuncta Iudicia*, *accuſationes*, *bannitus*, *tinctiones*, *vulgo*, attainders, *& inquiſitiones*, *in ulla dictarum Cauſarum*; *Et cunctæ donationes inde ortæ vel oriundæ*, *declarentur irritæ*, *ſupprimantur & inhibeantur*; *Et hoc palàm in cunctis templis intra Regiæ Majeſtatis dominia*, *& aliis locis neceſſariis promulgetur*.

II. *Vt Regia Majeſtas juxta laudandum Regii Patris beatæ memoriæ exemplum*, *velit jurare & ſignare nuperam ſolennem Ligam & Fedus*; *utque Actum Parlamenti in utroque Regno reſpectivè condatur, quo omnes trium Regnorum cives ad ejuſdem ſubſignationem teneantur*; *utque Statuta de modo ſubſignandi in utroque Regno ſanciantur Actis Parlamenti reſpectivis*, *additis mulctis*, *prout mutuo utriuſque Regni conſilio judicabitur*.

III. *Vt feratur Actum de abolendis & amovendis omnibus Archiepiſcopis*, *Prælatis*, *eorumque Cancellariis & Commiſſariis*, *Decanis & Subdecanis*, *Decanis & Capitulis*, *Archidiaconis*, *Canonicis & Præbendariis*, *& omnibus Cantoribus*, *Cancellariis*, *Theſaurariis*, *ſub-Theſaurariis*, *Succentoribus &*

Sa-

Sacriſtis; *& omnibus Vicariis choralibus*, *& Choriſtis*, *antiquis vel recentioribus Vicariis cujuſque* Cathedralis *vel Collegiatæ Eccleſiæ*, *& omnibus illorum inferioribus miniſtris*; *Ex Eccleſiis* Angliæ *& Dominii* VValliæ, *& ex Eccleſiis* Hiberniæ; *Cum ejuſmodi alterationibus de Prælatorum Bonis*, *quæ cum Articulis nuperæ Tranſactionis*, *Dat.* Edinburgi, 29 *Novemb. Anno* 1643, *& conjuncta utriuſque Regni declaratione convenient.*

IV. *Vt Statuta de convocanda & continuanda Synodo* Theologorum, *Acto Parlamenti ſanciantur.*

V. *Vt Reformatio Religionis juxta Fedus ſanciatur Acto Parlamenti*, *prout utraque Domus*, *conſultatione cum Theologorum Synodo habitâ*, *convenit vel conveniet.*

VI. *Quando utrumque Regnum reciproce ex Federe tenetur ad intimam conjunctionem ac uniformitatem in eis quæ ad Religionem attinent*, *annitendam*; *Vt ea unitas & uniformitas in Religione juxta Fedus, prout, conſultatione cum Theologis utriuſque Regni nunc congregatis habita, conventum eſt vel erit ab utraque Parlamenti* Anglicani *Domo*, *& à* Scotiæ *Eccleſia & Regno*, *ratihabeatur Actis Parlamenti utriuſque Regni reſpective.*

VII. *Vt efficacius reddantur inepti Ieſuitæ*, *Sacerdotes*, *Papicolæ & Pontificii Recuſantes*, *ad Rempublicam diſturbandam & leges eludendas*; *utque facilius detegantur*, *citiuſque convincantur Recuſantes*; *Iusjurandum Acto Parlamenti ſanciatur*, *illis adminiſtran-*

niſtrandum, ubi abjurent & abrenuntient Primatum Papæ, dogmata Tranſſubſtantiationis, purgatorii, adorationis conſecratæ hoſtiæ, crucis & imaginum; & cunctas alias Pontificias ſuperſtitiones & errores; & abnegatio hujus jurisjurandi illis ita ut Acto illo determinabitur, oblati, ſatis ſit ad illos convincendos Recuſationis.

VIII. *Actum Parlamenti ad Pontificiorum Liberos ab Orthodoxis in orthodoxa Religione educandos.*

IX. *Actum ad totaliter cogendum mulctas ab eis; quæ multæ colligentur & diſponentur prout utraque Domus judicaverit; ubi præcaveatur etiam, ne Regia Majeſtas detrimentum patiatur.*

X. *Vt Actum Parlamenti condatur, quo Pontificiorum negotiationes adverſus Rempublicam præcaveantur, & Leges contra eos fideliter obſerventur, & ſeverior ratio ad præveniendum lectionem vel auditionem Miſſæ in Aula vel ulla Regni parte, ineatur.*

XI. *Idem de Regno* Scotiæ *de proximis quatuor Articulis, prout* Ordines *Parlamenti ibi judicaverint.*

XII. *Vt Rex aſſenſum Regium velit conferre Acto de debita diei Dominici obſervatione; Acto de ſupprimendis in templis & capellis innovationibus in vel circa cultum Dei, &c. & de felicius promovendo ſacro-ſancti Verbi Divini præconio per cunctas Regni partes; Et Acto formando ac conveniendo ab utraque Parlamenti Domo de reformatione & regulatione utriuſque Academiæ, &* Collegiorum Weſtmonaſterien-

ſterienſis, VVintonienſis & Eatonenſis; *Et Acto vel Actis de colligendis nummis ad rependendas & ſatisfaciendas publicas obærationes & jacturas* Re- *gni, & alios publicos uſus, prout ab utraque Parlamenti Domo judicabitur; Et ſi noluerit Rex adſtipulari, quicquid in his ab utraque Parlamenti Domo fiet, æque validum omnino habeatur, ac ſi additus fuiſſet Regius aſſenſus. Itidem de* Scotiæ *Regno; Et ut Regia Majeſtas certum ac indubium faciat, ſe conſenſurum in* Scotiæ *Parlamento, Acto approbanti & ratihabenti Acta* Conventus *Ordinum* Scotiæ, *convocatorum à majore Senatu & Pacis conſervatoribus, & Deputatis pro publicis oneribus, & congregatorum vigeſimo ſecundo Iunii, Anno* 1643, *& ſubinde continuatorum; & Actis Parlamenti illius Regni exinde congregati.*

XIII. *Vt Proceres & Municipiarii in* Angliæ *Parlamento congregati, per totum viginti annorum ſpatium, à primo Iulii* 1646 *arment, enutriant & dirigant, vel armandas, enutriendas & dirigendas curent omnes Copias ſive acies regnorum* Angliæ & Hiberniæ, *Dominii* VValliæ, *Inſularum* Gernſeyæ & Ierſeyæ, *& oppidi* Bervvici *ad* Tvvedam, *hactenus collectas ad miniſterium terreſtre vel marinum; & à tempore ad tempus per totum dictum viginti annorum ſpatium, cogant, arment, enutriant & dirigant, vel cogendas, armandas, enutriendas & dirigendas curent alias Copias in Regnis, Dominiis & locis jam nominatis, prout à tempore ad tempus per totum*

totum

totum hoc viginti annorum ſpatium judicabunt & deſignabunt; & neque Rex, Hæredes ejus vel Succeſſores, nec quiſquam alius, niſi qui movebuntur ab authoritate & approbatione ante dictorum Procerum & Municipiariorum durante hoc viginti annor. ſpatio, quicquam ſupra nominatæ poteſtatis exercebit. Et idem Copiarum in miniſterio terreſtri & navali, eis rationibus & mediis prout nominati Proceres & Municipiarii à tempore ad tempus durante eo viginti annorum ſpatio, judicaverint & deſignaverint, nec ulla alia ratione; Et nominati Proceres & Municipiarii durante dicto viginti annorum ſpatio, autoritate valeant ad ſupprimendum omnes Copias collectas vel colligendas abſque authoritate & conſenſu dictorum Procerum & Municipiariorum, ad diſturbandam pacem publicam Regnorum Angliæ *&* Hiberniæ, *& Dominii* VValliæ, *Inſularum* Gerſeiæ, *&* Ierſeiæ, *& oppidi* Bervvici *ad* Tvvedam, *vel cujuſquam eorum*; 2. *ad ſupprimendum externas Copias invaſuras vel invadere auſuras Regna* Angliæ *&* Hiberniæ, *Dominium* VValliæ, *Inſulas* Gerſeiæ *&* Ierſeiæ, *& oppidi* Bervvici *ad* Tvvedam, *aut ullum eorum*; 3. *ad conjungendum Copias Regni* Angliæ *cum Copiis Regni* Scotiæ, *prout antè dicti Proceres & Municipiarii à tempore ad tempus durante eo* x x *annor. ſpatio æquum vel neceſſe judicaverint, ad reſiſtendum externis invaſionibus, & ſupprimendum quamcunque aciem coactam aut cogendam intra vel extra utrumvis horum Regnorum, ad diſturbandam*

 publi-

publicam pacem horum Regnorum vel alterutrius, ulla authoritate ſub magno ſigillo vel alia quacunque poteſtate abſque conſenſu ante dictorum Procerum & Municipiariorum Anglicani *Parlamenti, & Parlamenti* Scoticani *reſpectivè; Et nulla Copia alterutrius Regni intrabunt nec permanebunt in altero Regno abſque conſilio & poſtulato dictorum Procerum & Municipiariorum Parlamenti* Angliæ, *& Parlamenti* Scotiæ, *vel ad hanc rem deputandorum; Et ut poſt elapſos dictos viginti annos nec Rex, Hæredes aut Succeſſores ejus, nec ulla alia perſona vel perſonæ ſub colore vel prætextu ullius Commiſſionis, poteſtatis, deputationis à Rege ejuſve Hæredibus vel Succeſſoribus, vel illorum ullo derivatæ, cogat, armet, enutriat, dirigat, adhibeat, digerat, utatur, exarmet vel diſponat, vel mari, vel terrâ, ullas Copias Regnorum* Angliæ *&* Hiberniæ, *& Dominii* VValliæ, *Inſularum* Gernſeiæ *&* Ierſeiæ, *vel oppidi* Bervvici *ad* Tvvedam; *nec exerceat quicquam harum poteſtatum vel authoritatum in præcedentibus Articulis memoratarum vel expreſſarum ad durationem dicti viginti annorum ſpatii, nec ullum actum exerceat, vel rem quamcunque in executione duarum poteſtatum vel authoritatum, vel ullius earum, abſque conſenſu dictorum Procerum & Municipiariorum prius habito & addito. Vt poſt elapſos dictos viginti annos, in cunctis Caſibus, ubi Proceres & Municipiarii ſalutem Regni exigere declarabunt, & inde ullam ſententiam vel ſententias*

ferent

ſerent ad cogendum, armandum, enutriendum, dirigendum, adhibendum, digerendum, utendum vel diſponendum, ſive mari, ſive terrâ Copias Regnorum Angliæ *&* Hiberniæ, *Dominii* VValliæ, *Inſularum* Gernſciæ *&* Ierſeiæ, *& oppidi* Bervvici *ad* Tvvedam, *vel ullam partem earum Copiarum, vel de Admiralitate, vel navali claſſe, vel de colligendis nummis ad cogendum, alendum, vel ad uſum earum Copiarum in miniſterio terreſtri vel navali, vel cujuſvis partis earum: & ſi Regius aſſenſus non concedetur in Domo Procerum intra ſpatium poſt concordiam utriuſque Domus Parlamenti, prout utraque Domus æquum & conveniens judicaverit; tum ejuſmodi ſententiâ vel ſententiæ ita ut dictum, ab utraque Domo peractæ, & quibus Regius conſenſus hoc dicto modo non concedetur, nihilominus poſt declarationem dictorum Procerum & Municipariorum in hoc Caſu editam, vim & virtutem habeant Acti vel Actorum Parlamenti; & non minus valida ſint omni modo, quam ſi conceſſa fuiſſet Regia adſtipulatio; Hoc præcauto, ut nihil hîc dictum extendatur ad amolitionem ordinariæ & legalis poteſtatis Præſidum Provinciarum, Conſervatorum-juſtitiæ-&-pacis, Majorum, Balivorum, Coronatorum, Coneſtabilium, primariorum oppidorũm vel aliorum miniſtrorum Iuſtitiæ qui non fuerint Militares Miniſtri, in adminiſtratione Iuſtitiæ; ita ut neque dicti Præſides, Conſervatores, Majores, Balivi, Coronatores, Coneſtabiles, primaria oppida & alii Miniſtri,*

nec eorum quicunque cogat, conducat, adhibeat vel imperet quibuſvis Copiis ſub colore vel prætextu commiſſionis Arraiæ *vel extraordinario mandato Regis ejuſve Hæredum vel Succeſſorum, abſque conſenſu dictorum* Procerum *& Municipiariorum; Et ſi quæcunque perſona bellico modo colligentur ad numerum triginta perſonarum, & moniti à dictis* Proceribus *& Municipiariis vel eorum juſſu, vel à quocunque in hunc finem ab eis deputato, tunc illa perſona vel perſonæ non exuens arma reus erit & incurret pœnam perduellionis, poſtquam hujus criminis reus declaratus à dictis* Proceribus *& Municipiariis fuerit, Nihil obſtante ulla commiſſione ſub magno Sigillo vel tali poteſtate; Et qui in his deliquerit ſive unus ſive plures, ullius remiſſæ à* Regia *Majeſtate ejuſve Hæredum vel Succeſſorum nequaquam erit capax, ejuſque fortunæ à dictis* Proceribus *diſponentur, & non alio modo; Proviſo interim, ut civitas* Londinum *exerceat & fruatur cunctis ſuis privilegiis, libertatibus vectigalibus & conſuetudinibus in cogendo & adhibendo Copias Civitatis ad ſui tutelam, adeo plene & ample ad omnes intentiones & uſus, quam unquam ante hunc Articulum vel Actum utebantur, vel poſſent uti vel frui: Vt enim hæc civitas ſua tuitione gaudeat, non eſt Parlamenti intentio, auferre ab eis quicquam privilegii vel libertatis in cogendo vel diſponendo ſuas Copias, qua hactenus utebantur vel poſſent uti aut frui. Itidem de* Scotiæ *Regno, prout Ordines Parlamenti judicaverint.*

XIV.

XIV. *Vt Acto Parlamenti, omnes Proceres creati poſt diem, quo* Edvvardus, *Dominus* Litletonus, *tunc* D. *Cuſtos magni Sigilli deſeruit Parlamentum, & magnum Sigillum furtim ablatum eſt à Parlamento, qui fuit Maji* 21, *Anno* 1642; *aut qui poſthac creabuntur, nec conſideant nec ſuffragium ferant in* Angliæ *Parlamento, abſque utriuſq; Domus Parlamenti conſenſu; Vtque omnis honos vel titulus in quemcunque collatus abſque utriuſque Domus conſenſu poſt vigeſimum Maji Anno* 1642, *quo die declarabat utraque Domus Regem pravo Conſilio ſeductum intendiſſe bellum adverſus Parlamentum, irritus & nullus declaretur. Itidem de Regno* Scotiæ, *illis exceptis quorum Patentes literæ magno Sigillo ſignatæ ſunt ante Iunii* 4, *Anno* 1644.

XX. *Vt Actum condatur in Parlamentis utriuſque Regni reſpective, ad ratibabitionem Tranſactionum inter duo Regna initarum, videlicet amplæ Tranſactionis, nuperæ Tranſactionis de introitu* Scoticani *exercitus in* Angliam *& ſtabilitione Præſidii* Bervvicenſis *Novemb.* 29, *An.* 1643, *& Tranſactionis de* Auguſti 6, *An.* 1642, *ad mittendos* 10000 Scotos *in Provinciam* Ulſteræ *in* Hibernia, *cum cunctis aliis Statutis & Actionibus utriuſque Regni, quibus tenentur per prædictas Tranſactiones; Et ut Comites* Algernon Northumbriæ, Philippus Pembrookiæ *&* Montgomeriæ, Robertus Eſſexiæ, Theophilus Lincolniæ, Jacobus Suffolciæ, Robertus VVarvvici, Edvvardus Man-

cheſtriæ, Henricus Stanfordiæ; *Barones*, Franciſcus Dacreſiæ, Philippus VVhartonæ, Franciſcus VVilloughbiæ, Dudleyus Northæ, Johannes Hunſdonæ, Guilielmus Graiæ, Edvvardus Hovvardus ab Eſtriko, Thomas Brucius, Ferdinandus Fairfaxius; *& Municipiarii*, *M.* Nathanaël Fieneſius, Guilielmus Arminius *Eques*, Philippus Stapletonus, *Eques*, Henricus Vanius *ſenior Eques*, *M.* Guilielmus Pierpointus, Edvvardus Aiſcoughus *Eques*, Guilielmus Striklandus *Eques*, Arthurus Haſelriggus *Eques*, Johannes Fenvvicus *Eques*, Guilielmus Breretonus *Eques*, Thomas VViddringtonus *Eques*, *M.* Johannes Tollus, *M.* Gilberius Millingtonus, Guilielmus Conſtablus *Eques*, Johannes VVrayus *Eques*, Henricus Vanius *Iunior eques*, *M.* Henricus Darlyus, Oliverus ſancti-Iohannis *Armiger*, *Majeſtatis Sollicitator Generalis*, *M.* Denzill Holles, *M.* Alexander Rigbyus, *M.* Cornelius Hollandus, *M.* Samuel Vaſſel, *M.* Peregrinus Pelham, Iohannes Glynus *Armiger Cuſtos rotularum Londinenſium*, *M.* Henricus Martinus, *M. Senior* Hoylius, *M.* Iohannes Blackſtonus, *M. Serviens* VVildius, *M.* Rich. Barvviſius, Antonius Irbius *Eques*, *M.* Aſhurtius, *M.* Bellinghamus, *& M.* Tolſonus, *Membra utriuſque Domus Parlamenti* Anglicani, *ſint Deputati ex parte Regni* Angliæ *ad conſervandam inter duo Regna pacem, & ad agendum juxta poteſtatem*

hujus

hujus rei expreſſam in ampliori Tranſactione, & non aliter; Et ut Regia Majeſtas adſtipuletur illis in qua utrumque Regnum conveniet in proſecutione Articulorum illius Tranſactionis qui nondum ſunt completi.

XVI. *Actum in Parlamentis utriuſque Regni condatur, ad ſtabiliendam junctam utriuſque Regni Declarationem Dat. Ianuar.* 30, *An.* 1643 *in* Anglia, *&* 1644 *in* Scotia, *cum qualificationibus ſequentibus.* I. *Qualificatio. Vt perſonæ quæ nullam expectent remiſſam ſint ſolum, ſequentes,* Robertus *&* Mauritius *Comites Palatini ad Rhenum*, Iacobus *Comes* Darbyus, Iohannes *Comes* Briſtoliæ, Guilielmus *Comes* Novocaſtri, Franciſcus *Baro* Cottingtonus, Georgius *Baro* Digbyus, Mathæus VVren *Prælatus Elienſis*, D. Robertus Heath, *Doctor* Bramhall *Prælatus Derrienſis*, *Do.* Guilielmus VViddrington, *Chiliarcha* Geo. Goring, Henricus Iermin *Armiger*, D. Ralph Hopton, D. Iohan. Biron, D. Fran Doddington, D. Ioh. Strangvvayes, M. Endimion Porter, D. Georg. Ratcliff, D. Marmaduk Langdal, Henricus Vaughan, *nunc dictus* D. Henricus Vaughan, D. Franc. VVindebank, D. Ric. Grienvill, Edvvardus Hide, *nunc dictus* D. Edvvardus Hide, D. Io. Marley, D. Nicolaus Cole, D. Tho. Riddell *Iunior*, D. Ioh. Culpepper, Rich. Lloyd, *nunc dictus* D. Richardus Lloyd, M. Da. Ienkins, D. Georgius Strode,

Georgius Carteret, *nunc dictus D.* Georgius Carteret, *D.* Carolus Dalliſon, Rich. Lane, *nunc dictus D.* Rich. Lane, *D.* Edvvardus Nicolas, Iohannes Aſhburnham *Armiger*, *D.* Edvvar. Hârbert *Regius Sindicus Generalis*; *Comes* Traquaire, *Baro* Haris, *Baro* Rae, Georgius Gordonus, *olim Marchio* Huntlæus, Iacobus Græmus, *nuper Comes* Montroſius, Robertus Maxuell *nuper Comes* Nithſdalius, Ro. Dalyell *nuper Comes* Carnvvath, Iacobus Gordonus *nuper Vice-Comes* Aboinius, Ludovvicus Lindſey *nuper dictus Comes* Cravvford, Iacobus Ogilbius *nuper Comes* Airlyus, Ia. Ogilbius *nuper Dominus* Ogilbius, Patricius Ruthenus *nuper Comes* Forthæ, Iabus King *nuper Dominus* Itham, Alaſter Makdonal, Iryvin *Iunior* Drummenſis, Gordonus Gightus *Iunior*, Leſlæus *ab* Auchentoul, *Chiliarcha* Io. Cochran, Græmus *à* Gorthy, *M.* Io. Maxvvel, *olim dictus Pralatus* Roſſenſis, *& omnes alii qui perduellionis inſimulati, ab Ordinibus convicti fuerint ante ſignationem Acti oblivionis.* II. *Qualificatio. Omnes papicolæ ſive Pontificii Recuſantes, qui fuerunt, nunc ſunt aut actu erunt in armis aut adjuvabunt ſponte adverſus Parlamentum vel Ordines utriuſvis Regni, & nominatim, Marchio* VVinton, *Comes* VVorceſtriæ, Edvvard Harbert *Do.* Ragland, *filius Comitis* VVorceſtrii, *Baro* Brudnell, Carol. Mollineux, *D.* Arundel *à* VVarder, *D.* Franciſcus Hovvard,

vvard, *D.* Ioh. VVinter, *D.* Carolus Smith, *D.* Ioh. Preſton, *D.* Baſil. Brook, *D.* Audley *Comes* Caſtlehaven *in Regno Hiberniæ*, Guilielmus Sheldon *à* Beely *Armiger*, *D.* Hen. Beddingfield. III. *Qualificatio. Omnes qui ullo modo intererant comminiſcentes, deſignantes vel aßiſtentes rebellioni* Hibernicæ, *exceptis illis qui ſolum aſtiterint dictæ rebellioni, & poſt Parlamento* Angliæ, *ſe ſubmiſere.* IV. *Qualificatio* Humfredus Bennet *Armiger*, *D.* Edvvardus Ford, *D.* Ioh. Penruddok, *D.* Georg. Vaughan, *D.* Ioh. VVeld, *D.* Ro. Lee, *D.* Iohan. Pate, Ioh. Ackland, Edmondus VVindbain *Armiger*, *D.* Io. Fitzharbert, *D.* Edvvard Laurence, *D.* Ralph Dutton, Hen. Lingen, *D.* Guil. Ruſſel *in Comitatu VVorceſtriæ*, Thomas Lee *ab* Adlington *Armiger*, *D.* Iohannes Girlinton, *D.* Paulus Neal, *D.* Thomas Thorol, *D.* Edvvardus Huſſey, *D.* Thomas Liddel *Senior*, *D.* Philippus Muſgrave, D. Iohannes Digby *in Nottinghamia*, *D.* Henricus Fletcher, *D.* Richardus Minſhall, Laur. Halſtead, Iohannes Denham *Armiger*, *D.* Edmond Forteſcue, Petrus Sainthill *Armiger*, *D.* Thomas Tildeſlei, *D.* Thomas Griffith, Michaël VVharton *Armiger*, *D.* Henricus Spiller, Georgius Binyon *nunc dictus* *D.* Georgius Binyon, *D.* Robertus Ovvſeley, *D.* Iohannes Many, *Baro* Cholmley, *D.* Thomas Aſhton, *D.* Ludovvicus Dives,

D. Petrus Oſburne, Samuel Thornton *Armiger*, D. Ioh. Lucas, D. Tho. Blacey *Armiger*, D. Thomas Chedle, D. Nic. Kemiſh, Hugo Lloyd *Armiger*, D. Nicol. Criſpe, D. Petrus Ricaut, *& quicunque ex* Scotorum *natione concurrebant in ſententiam* Oxonii *contra Regnum* Scotiæ, *eorumve actiones, vel qui juraverant, aut ſubſcripſerant Declarationi contra Conventum vel Fedus; & quicunque auxiliares fuerunt rebellioni aquilonari vel invaſioni Auſtrali Regni* Scotiæ, *aut nuperæ invaſioni illic attentatæ ab* Hibernicis *eorumq; adhærentibus, amoveantur à Regis Concilio, & arceantur ne veniant intra Aulæ limites, nec abſq; conſilio & conſenſu utriuſq; Domus Parlamenti* Angliæ, *vel Ordinum Parlamenti* Scotiæ *reſpectivè, officio fruantur, nec ad Reipublicæ munia adhibeantur; Et ſi quiſquam illorum in his deliquerit, reus erit perduellionis, & minimè capax remiſſæ à Regia Majeſtate; eorumque fortunæ diſponentur, prout utrique Domui Parlamenti* Angliæ, *vel Ordinibus Parlamenti* Scotiæ *reſpectivè viſum fuerit; Et una tertia ad plenum valorem fortunarum perſonarum dictarum, quæ (ut dictum eſt) non ſunt Officiorum capaces, conferatur ad ſolutionem publicæ obærationis & diſpendiorum, juxta Declarationem. Ramus* I. *Nupera membra vel qui præferebant ſe membra utriuſvis Domus Parlamenti, & non ſolum Parlamentum dereliquerunt, ſed etiam ſederunt in illegali conventu* Oxonienſi, *dicto à quibuſdam Parlamento,*

& ſuf-

& ſuffragio ſuo utrumque Regnum damnaverunt perduellionis, neque ſponte ſe reddiderunt ante noviſſimum Octobris 1644, *amoveantur à Regis Conciliis, & arceantur ne in Aulæ limites veniant; & non abſque utriuſque Regni conſilio & conſenſu, munere fungantur in Republica: quod ſi quiſquam eorum in his deliquerit, reus ſit perduellionis, diſponanturque eorum fortunæ prout utrique Domui Parlamenti* Angliæ, *vel Ordinibus Parlamenti* Scotiæ *reſpective viſum fuerit. Ramus ſecundus. Nupera Membra vel præferentes ſe membra utriuſvis Domus Parlamenti, qui ſederunt in illegali conventu* Oxonienſi, *à quibuſdam appellato Parlamento, nec ſponte ſe reddiderunt ante noviſſimum Octobris* 1644, *amoveantur à Regis Conſiliis, & arceantur ne in Aulæ præcinctum veniant; nec abſque utriuſque Domus Parlamenti conſilio & conſenſu, officio vel munere fungantur in Republica: quod ſi quiſquam eorum in his deliquerit, reus ſit perduellionis, nec ſit remiſſæ à Regis Majeſtate capax, fortunæque eorum diſponantur, prout utriq; Domui Parlamenti* Anglicani *viſum fuerit. Ramus* III. *Nupera Membra vel præferentes ſe membra utriuſvis Domus Parlamenti, qui dereliquerunt Parlamentum, & adhæſerunt ejus hoſtibus, nec ſe reddiderunt ante noviſſimum Octobris Anno* 1644, *amoveantur à Regis Conſiliis, & arceantur ne veniant intra Aulæ præcinctum; nec abſque utriuſque Domus conſilio & conſenſu, officio vel munere fungantur in Republica: quod ſi quiſquam*

quam eorum in his deliquerit, reus ſit perduellionis, nec ſit remiſſæ à Regis Majeſtate capax, diſponanturque eorum fortunæ prout utrique Domui Parlamenti Angliæ viſum fuerit. V. *Qualificatio.* Cuncti *Iudices & Officiarii ad Legem, ſive communem, ſive civilem, qui Parlamentum deſeruerunt, adhæſeruntque hoſtibus ejus, non ſint capaces ullius loci ſive tribunalis, ſive Officii ad Legem Communem aut Civilem; Et omnes Servientes, Conſiliarii, Syndici, Doctores, Advocati & Procuratores ad Legem Communem vel Civilem, qui Parlamentum deſeruerunt, adhæſeruntque hoſtibus ejus, non ſint capaces ullius praxeos in Iure Communi vel Civili, nec publice nec privatim, nec ſint capaces ullius promotionis nec muneris in Republica abſque conſilio & conſenſu utriuſque Domus Parlamenti; Nullus etiam Prælatus aut Clericus, nullus Præfectus aut Collega ullius Collegii vel Aulæ in utravis Academia vel alibi, aut ullus Rector Scholæ aut Xenodochii, & nulla Eccleſiaſtica perſona, qui deſeruit Parlamentum, adhæſitque hoſtibus ejus, occupet vel fruatur vel ſit capax ullius promotionis vel muneris in Eccleſia vel Republica. Sed ſingula eorum munia, loca vel promotiones ſint ſimpliciter vacua, quaſi naturaliter eſſent mortui; nec alias miniſterio fungantur abſque conſilio & conſenſu utriuſque Domus Parlamenti; Proviſo, quod nullus Lapſus incurratur hujuſmodi vacatione uſque ad ſex menſes elapſos poſt notitiam ejus.*

ejus. VI. *Qualificatio. Omnes, qui actu fuerunt in armis adverſus Parlamentum, aut conſuluerunt aut ſponte adjuverunt hoſtes ejus, non ſint Præſides Provinciarum, Pacis-&-Iuſtitiæ-Conſervatores, Majores ſive Prætores, aut primarii Officiarii cujuſquam civitatis aut corporationis, Iuſtitiarii ad audiendum & terminandum, vulgo* Oyer & Terminer, *nec ſedeant nec inſerviant tanquam Membra vel Auxiliares in utravis Domo Parlamenti, nec ullo munere in hoc Regno fungantur abſque conſenſu utriuſque Domus Parlamenti.* VII. *Qualificatio. Omnes alii ſint immunes ab ulla perſonali cenſura, nihil obſtante tali actu vel re admiſſa in vel de hoc bello, modo ſubſignent Fedus.* VIII. *Qualificatio. Fortunæ omnium qui excipiuntur in primis tribus Qualificationibus, & fortuna* Edvvardi *Domini* Litletoni, & Guilielmi Laudi *quondam Archiepiſc.* Cantuarienſis, *applicentur ſolvendis publicis obærationibus & detrimentis.* IX. *Qualificationis Ramus* I. *Duæ tertiæ (plene cunctarum fortunarum Membrorum utriuſvis Domus Parlamenti) qui non ſolum deſeruerunt Parlamentum, ſed etiam ſuffragio ſuo damnarunt ambo Regna perduellionis, neque ſe reddiderunt ante Decembris* 1, *Anno* 1645, *dividantur, auferantur & applicentur ſolvendis publicis obærationibus & detrimentis Regni. Ramus* II. *Duæ tertiæ (plene) fortunarum ejuſmodi nuperorum Membrorum utriuſvis Domus Parlamenti, qui ſederunt in illegali Conventu* Oxo-

Oxonienſi, *nec ſe reddiderunt ante Decembris* 1, *Anno* 1645, *dividantur, auferantur & applicentur ſolvendis publicis obærationibus & detrimentis* Regni. *Ramus* III. *Vna tertia (plene) fortunarum illorum qui fuerunt nupera Membra utriuſvis Domus* Parlamenti, *& deſeruerunt* Parlamentum, *adhæseruntque hoſtibus ejus, nec ſe reddiderunt ante* Decembris 1, 1645, *auferatur & applicetur ſolvendis publicis obærationibus & detrimentis Regni.* X. *Qualificatio. Vna tertia ad plenum valorem fortunarum omnium Iudicum & Officiariorum ad Legem Communem vel Civilem, & omnium Servientium, Conſiliariorum, Syndicorum, Doctorum, Advocatorum & Procuratorum Iuris Communis vel Civilis; & omnium Prælatorum, Clericorum, Præfectorum vel Collegarum ullius Collegii vel Aulæ in utravis Academia, vel alibi; & omnium Rectorum Scholarum vel Xenodochiorum; & perſonarum Eccleſiaſticarum, qui deſeruerunt* Parlamentum, *adhæſeruntque hoſtibus ejus, nec ſe reddiderunt ante* Decembris 1, *Anno* 1645, *auferatur & applicetur, ſolvendis publicis obærationibus & detrimentis* Regni; Et *ſexta pars ad plenum valorem fortunarum eorum qui excipiuntur in Qualificatione ſexta de illis qui actu fuerunt in armis contra* Parlamentum, *& conſuluerunt vel ſponte adjuverunt hoſtes ejus, & inhabiles redduntur juxta eam Qualificationem, auferatur & applicetur ſolvendis publicis obærationibus & detrimentis Regni.* XI. *Qualificatio. Vt perſonæ & Bona omnium gregario-*

gariorum militum & aliorum in Regno Angliæ, *quorum ager & Bona non excedunt valorem ducentarum librarum moneta Sterlinenſis; Et perſona ac Bona omnium gregariorum militum & aliorum in Regno* Scotiæ, *quorum ager & Bona non excedunt valorem centum librarum moneta Sterlinenſis, ſint immunia & libera. Ramus* I. *Hic Articulus ſtet in* Anglos,*ſimiliter & in* Scotos;*Si Parlamento* Scotiæ *vel ejus Deputatis ſic viſum fuerit. Ramus* II. *Primus Maji elapſi eſt terminus limitationis ad reditum eorum qui in priore Qualificatione continentur. Vt Actum condatur, quo obærationes Regni & Delinquentium, valorque fortunarum eorum ſciantur: quod Actum ſimul ſtatuat quo modo confiſcationes & proportiones ſupra nominata colligantur & applicentur exonerationi dictorum onerum. Itidem de* Scotiæ *Regno, ſi Ordinibus Parlamenti ejuſve Deputatis ſic viſum fuerit.*

XVII. *Vt Actum Parlamenti condatur, declarans & reddens irritam Ceſſationem* Hiberniæ, *& cunctas Tranſactiones & concluſiones de pace, aut ullos de ea Articulos, cum Rebellibus abſque conſenſu utriuſque Domus Parlamenti; & ſtabiliens proſecutionem belli* Hibernici, *in utramque Domum Parlamenti, ab eiſque dirigendi; Et Rex adjuvet, & nullum actum exerceat, quo retardentur, aut moleſtiam inibi patiantur; Vt Reformatio Religionis juxta Fedus in Regno* Hiberniæ *ſanciatur Acto Parlamenti, quo modo utraque Domus Parlamenti* An-

gli-

glicani *convenerunt*, *vel convenient*, *habitâ conſultatione cum Synodo Theologorum hîc*; *Vt Præſes vel ſummus Gubernator*, *vel alii Gubernatores* Hiberniæ, *& Præſides ſingularum Provinciarum illius Regni nominentur ab utraque Parlamenti* Anglicani *Domo*, *vel tempore intervallorum Parlamenti*, *à Deputationibus utriuſque Domus*, *quas utraque Domus Parlamenti* Anglicani *nominabit*, *& ad hoc effectum deſignabit*; *Vtque Cancellarius ſive Sigilli-Cuſtos*, *Do. Quæſtor*, *Commiſſionarii magni Sigilli vel Theſauri*, *Do. cuſtos quinque-portuum*, *Cancellarius Scacarii & Ducatus*; *Secretarii Reipublicæ*, *Magiſter-Rotulorum*, *Iudices utriuſque tribunalis*, *vulgo* Bench, *& Domini-Scacarii Regnorum* Angliæ *&* Hiberniæ, *& Proquæſtor*, *& Quæſtores bellici Regni* Hibernici *nominentur ab utraque Domo Parlamenti* Anglicani, *qui continentur*, Quamdiu ſe bene geſſerint, *& in Parlamentorum intervallis*, *à ſupra dictis Deputationibus*, *approbandi vel reprobandi ab utraque Domo in proxime ſequente Seſſione*. *Itidem de* Scotiæ *Regno*, *quoad nominationem Dominorum Majoris-Senatus*, *Dominorum Seſſionis* (*ſive* Scabinorum) *& Scacarii*, *Officiariorum Reipublicæ & Iuſtitiæ Generalis*, *quomodo Ordinibus Parlamenti viſum fuerit*.

XVIII. *Vt Militia Civitatis* Londinenſis, *ejuſque libertatum*, *ſint penes D. Majorem*, *Seniores & alios in communi ejus Senatu congregatos*, *vel illos quos à tempore ad tempus deputaverint* (*ex*

quibus

quibus D. *Major & Præſides pro tempore ſint tres) ad eorum injunctiones & directiones à tempore ad tempus, quo modo convenietur & deſignabitur ab utraque Parlamenti Domo; Vt nullus civis* Londini, *nec quiſquam ex Copiis illius civitatis trahatur vel cogatur exire dicta civitate ejuſve Libertatibus, ad militare miniſterium abſque ſuo libero conſenſu; Vt Actum condatur concedens, & corroborans civitatis* Londinenſis *Chartas, Tributa, Privilegia & Libertates, nihil obſtante aliquo Non-utente, vel abutente; Vt Turris* Londinenſis *ſit in poteſtate ſive in adminiſtratione civitatis* Londini; *Et ſummus illius Cuſtos vel Præſes à tempore ad tempus nominetur & amoveatur communi Senatu; Et ad præcavenda damna, quæ ex longa communis Senatus intermiſſione poſſint accidere, poſtulatur, ut ſit Actum, quo cuncta Legibus & Statutis hactenus latis vel deinceps ferendis à* D. *Majore, Senioribus & aliis in Communi Senatu congregatis, de vocatione, continuatione, directione & regulatione hujus Communis Senatus, non minus in jure valida ſint ad cunctas intentiones & actiones, quam ſi ipſa particulariter eſſent authoritate Parlamenti lata; Et* D. *Major, Seniores, aliique in Communi Senatu, poſſint addere aut repellere dicta Statuta pro re nata; Vt alii Articuli à civitate proponendi ad ſuam ampliorem incolumitatem, ubertatem & regimen, & ab utraque Parlamenti Domo approbandi, concedantur & corroborentur Acto Parlamenti.*

XIX. *Vt cunctæ Donationes, Commiſſiones, Præſentationes, Scripta, Arceſſiones, Actiones, Proceſſus, & alia ſignata magno ſigillo* Angliæ *in cuſtodia Dominorum aliorumque Deputatorum nominatorum ab utraque Parlamenti Domo ad illius cuſtodiam, ſint, & Acto Parlamenti cum Regia adſtipulatione declarentur & ſanciantur ejuſdem eſſe virtutis totaliter, & æque efficacia ad omnem intentionem & actionem, quam hujuſmodi vel ſimiles Donationes, Commiſſiones, Præſentationes, Scripta, Arceſſiones, Actiones, Proceſſus, vel alia quæ ſignata ullo magno Sigillo* Angliæ *unquam erant aut fuerant; Et hinc inde magnum Sigillum nunc in cuſtodia ſupra dictorum Deputatorum, permaneat & applicetur tanquam magnum Sigillum* Angliæ; *Et ut cunctæ Donationes, Commiſſiones, Præſentationes, Scripta, Arceſſiones, Actiones, Proceſſus, vel alia quæcunque ſignata à vel ſub authoritate cujuſvis alterius Sigilli poſt Maji vigeſimum ſecundum Anno* 1642, *vel poſt hac ſignabuntur, ſint* Invalida *& nullius efficacia ad ullas intentiones; vel actiones; exceptis Scriptis, arceſſionibus, & Commiſſionibus, quæ ſignata ullo alio magno Sigillo, quam ſupradicto magno Sigillo in cuſtodia ſupradictorum Deputatorum, dicto vel poſt dictum diem Maji* 22, *& ante Novembris* 28, *Anno* 1643, *ſunt relata, reddita, acta, vel in uſum converſa in ulla Regiarum Curiarum* VVeſtmonaſterii; *Et excepta Donatione in gratiam D. Iuſtitiarii* Baconis, *ut eſſet ex Iuſtitiariis Regii ſubſellii;*

Et

Et exceptis cunctis Actis & Proceſsibus virtute ullius Commiſsionis ad Carceris-liberationem, Aſſizæ, *&* Niſi prius, *vel* Oyer-*&*-Terminer, *ſignatis ullo alio magno Sigillo, quam Sigillo ſupradicto in cuſtodia ſupradictorum Deputatorum ante Octobris* 1 *An.* 1642; *Et ut cuncta Donationes Officiorum, fundorum, domiciliorum vel hærediorum, facta vel ſignata magno Sigillo* Hiberniæ, *in gratiam ullius perſona vel perſonarum, corporum Politicorum vel incorporatorum, poſt ceſſationem initam in* Hibernia *Septembris* 15, *Anno* 1643, *ſint irrita & inanes; Et cuncti Honores vel Tituli collati in ullam perſonam vel perſonas in ſupradicto Regno* Hiberniæ *poſt ſupradictam ceſſationem ſint inanes & irriti.*

ARTICVLORVM FINIS.

AD

Regiam Majeſtatem ORATIO Magni *Scotiæ* Cancellarii, *Novocaſtri Anno* 1646, *menſe Auguſto.*

MAIESTATI *Veſtræ placuit die Lunæ proximo Dominos majoris Senatus* Scoticani *& Deputationem convocare, quibus Articulos communicaſti, ac dixiſti, antequam redderetur reſponſum, idem illis impertiendum. Deſignatum Deputatis tempus adeo eſt curtum, & adeo*

gravi ponderis eſt Majeſtatis Veſtræ reſponſum, vel ad conſervationem vel ruinam Veſtræ Coronæ *&* Re*gnorum, ut reſpondere Deo nec fideicommiſſioni noſtræ poſſemus, niſi Majeſtati Veſtræ remonſtremus, quam opus ſit (rebus ſic ſtantibus, & in tanta anguſtia) ut Majeſtas Veſtra aſſentiatur Articulis, & immedicabile fore diſcrimen ac morbum repulſæ Veſtræ, & ſubitam inferri cladem ac ruinam.*

A poſteriore exordiar qui eſt morbus, & deinde de remedio unicum verbum addam. Diſcrimina inter Majeſtatem ac Parlamentum Veſtrum nemini magis quam Majeſtati Veſtræ præcognita, eo uſque exacerbata ſunt, ut (poſt tot cruenta prælia) nulla curatio ſuperſit niſi præſens pax; alioqui nil expectari poteſt, niſi certa ruina. Parlamentum Veſtras naves poſſidet, & cuncta propugnacula, munita oppida & præſidia Regni; pro lubito utitur vectigali, tributo & ſequeſtrationibus; authoritate pollet cogendi omnes Regni cives ac nummos; & poſt tot victorias & fauſtos ſucceſſus, conſiſtentem habet validam aciem: nunc etiam in ea poſitura, ut (quibus pollet viribus & authoritate) pro lubito ſuo quidvis in Eccleſia & Republica poſſit gerere. Quidam etiam adeo metuunt, & alii nolunt ſe Veſtræ Majeſtatis regimini ſubdere, ut non deſiderent Te nec ullum ex ſobole Tua diutius illis imperare: Attamen populus adeo belli pertæſus eſt, & gravibus oneribus ſubgemit, ut pacem expetat, & à mutatione Monarchiæ (ſub qua adeo diu in pace & opulentia floruerat) abhorreat; ita ut qui

Veſtri

Veſtri regiminis ſunt pertaſi, non audeant totaliter eam abjicere, donec ſemel Articulos de Pace Majeſtati Veſtræ offerant, ne vulgus (abſque cujus concurſatione intentionem ſuam perferre non valent) ab eis dilabatur. Idcirco omni populo (poſt tantum belli ac tumultuum) plenam à preſſuris & arbitraria poteſtate ſecuritatem exoptante, Hon. Domus in hos Articulos Majeſtati Veſtræ offerendos convenerunt, quaſi ſine his Regnum & populus Veſter non poßit in tuto degere, & exiſtimat major populi pars, non poſſe ſe aliis terminis ſolida frui pace. Majeſtatis Veſtræ amici & à Scotia *Deputati (poſt præſtabilem omnem reluctationem) coacti ſunt aſſentire mißioni Articulorum, aut odium omnium incurrere tanquam adverſarii pacis; & nullum omnino Articulum offerre. Nunc autem Domine, ſi Majeſtas Veſtra (quod abſit) his Articulis abnuerit, deperdes omnes amicos, amittes civitatem & totam regionem: tota enim* Anglia *tanquam unicus homo conglutinabitur adverſus Vos, & (ubi omnis ſpes reconciliationis defuerit) metuendum eſt, ne Te citent & deponant, & aliud regimen erigant: imperabunt etiam nobis, dedere ſibi Veſtram Majeſtatem, & reddere boreales urbes præſidiarias, & removere exercitum noſtrum ex* Anglia: *& ſi Majeſtas Veſtra Articulos reppulerit, cogetur utrumque Regnum (ad mutuam incolumitatem) convenire, & Religionem ac pacem abſque Vobis ſtabilire: quod (noſtro inenarrabili dolore) Veſtram Majeſtatem & ſobolem peſſundabit: & ſi Majeſtas Veſtra noſtrum*

conſilium ſpreverit (qui nihil terrenum præ Veſtræ Majeſt. throno ſtabiliendo exoptamus) & Angliam *Veſtra impotenti voluntate amiſerit, Veſtra Majeſtas non permittetur intrare & perdere* Scotiam. *Domine, corda noſtra attigimus, Dei conſilium & directionem ſupplicavimus, & de curatione quam ſerio maxime cogitavimus; ſed nihil aliud invenimus (rebus ſic ſtantibus) ad tutandam Coronam & Regna, niſi ut Majeſtas Veſtra Articulos ſubſignet. Non audemus dicere, quin in quibuſdam magis ardui ſint (ſi nos penes eſſet emplaſma & optio) quam probamus: Sed cum non ſuppetat alia ratio ulla curandi Regnorum vulnera, & rupturas inter Majeſtatem & Parlamentum Veſtrum conſolidandi, Noſtrum humillimum & fidiſſimum conſilium eſt, ut velit Majeſtas Veſtra ex gratia eis aſſentiri, tanquam unico procurandi maturam ac beatam pacem remedio; quoniam Majeſtati Veſtræ inde plurima accedent; In Parlamentum Veſtrum cum populi Veſtri applauſu & acclamatione recipieris; Regia Veſtra præſentia amicos Veſtros confirmabit; inimicos Veſtros (qui nihil magis quam Articulorum conceſſionem metuunt) labefactabit, idoneam occaſionem alios Articulos, quos Coronæ & Regno profore Veſtra prudentia judicabit, proferendi habebit; copiæ exarmabuntur, & quando populus Veſter gratiſſimis Veſtri halcyonii regiminis fructibus veſcetur, Veſtra Majeſtas corda eorum & affectus relucrabitur: quæ erunt Veſtræ vires & gloria, & omnia his procellarum fluctibus amiſſa recuperabuntur.*

Quod

Digitized by Google

Quod ſi Deo placuerit Regium Veſtrum animum conſilio Veſtrorum ſubmiſſorum & fidiſſimorum famulorum inflectere, qui (ſecundo poſt Dei honorem loco) nihil charius ducimus quam Veſtræ perſonæ ac Coronæ incolumitatem, Noſtræ actiones toti Orbi demonſtrabunt, nos floccipendere quodcunque diſpendii pro Veſtræ Majeſtatis ſalute, & paratos nos eſſe ad litandum vitas & fortunas noſtras ſolidationi Veſtri throni.

Et modo, Rex, ad Majeſtatis Veſtræ pedes provolvimur, & humillimæ ſubmiſſionis ritu petimus, ut velit tandem Veſtra Majeſtas annuere poſtulatis Veſtrorum humillimorum & fideliſſimorum civium, quibus nullus eſt obliquus ſcopus, niſi unice gloria Dei, & Veſtræ Regiæ perſonæ, poſterorum & Coronæ incolumitas. Conceſſio noſtrorum votorum liqueſcentes noſtras animas vivificabit, mœſta corda obruta & mœrore tabeſcentia exhilarabit, & preces ac lachrymas multarum in populo Veſtro myriadum in præconia Dei commutabit, & amplecti Majeſtatem Veſtram cum lætitiæ jubilationibus efficiet.

EXERCITVS FAIRFAXIANI.

Dies. APRIL.	*Provinciæ.*	*Loca.*	*Mil-liar.*	*Sta-tiva.*
30	BERCERIA.	VVindſora Readingā	12	1
Maj. 1		Theala	4	1
2		Nuberi	11	2
4	VVILTONIA	Andovera	12	1
5		Salıſburi	15	1
6	DORSETIA.	Hauley	10	1
7		Blandford	7	1
8		VVichampton	8	

Pars exercitus in Occidentem contendit, & Tauntonæ obſidium ſolvit.

9	HAMPTON.	Ringvvood	10	1
10		Rumſey	14	2
12		Alresford	14	1
13	BERCERIA.	VVhitchurch	10	1
14		Nubery	10	3
17		Blevvberry	10	2
19		Nevvnam	9	1
20	OXONIVM.	Garſington	2	2
22		Marſton		
		Oxonium obſeſſum.		
IVN. 5	BVCKINGH.	Mars Gibbon	9	1
6		Great Brickhill	12	1
7		Sherrington	8	2
9		Stoon Stretford	4	2
11	NORTHAM.	VVotton	8	1
12		Killingbury	4	1
13		Guileſbury	6	1
		Prælium Nazebianum		
		Harborough	6	1
14	LECESTRIA	Kibvvorth, Great-Glin	7	1

VVAR-

Dies.	*Provincia.*	*Loca.*	*Miliar.*	*Stativa.*
16		Knighton	6	2
18		Leceſter	$1\frac{1}{2}$	2
20		Luttervvorth	10	1
21	VVARVVIC.	Lillington	$10\frac{1}{2}$	1
22		VVarvvick	2	1
23	GLOCESTR.	Clifford	7	1
24		Campden	6	1
25		Norledge	14	1
26		Lechlade	8	1
27	VVILTONI.	VVambro	7	1
28		Marlingbury	7	2
30		Amberſbury	14	1
IVL. 1.		Burchalck	11	1
2	DORSETIA.	Blandford	12	1
3		Dorcheſter	12	1
4		Beamiſter	12	1
5	SOMERSET.	Crookhorn	4	2
7		Evill	8	1
8		Ilceſter.	3	1
9		LongSutton	4	1
10		*Prælium ad Langport.* Midleſey.	9	1
11		VVeſton,Bridgvvater	2	15
21		*Bridgvvatera oppugnata & capta.*		
22				
26		Marcock	13	2
28		VVels	15	4
30		*Bathonia dedita.*		
AVG. 1		Queen Cammel	12	1
2	DORSETIA.	*Sherborn capta.*	4	17
15		Caſtle Carey	8	1
18	SOMERSET.	Shepton Mallet	6	1
19		Biſhops Chevv	12	2

Dies.	Provincia.	Loca.	Mil-liar.	Sta-tiva.
22		Caneſham	5	3
25	GLOCESTR.	Stapleton	4	17
SEPT. 10		*Briſtol capta caſt. de-*		
11		*ditum.*	2	5
15	SOMERSET.	*Farley deditum.*		
16		Bath	10	1
17	VVILTONI.	Trubridge	7	1
18		Devizes	7	8
23		*Lacock deditum*		
26	GLOCESTR.	*Barckley capt.*		
26		Eaſt-Lavington	4	1

Pars exercitus VVintoniam & Baſingam contendit.

Dies.	Provincia.	Loca.	Mil-liar.	Sta-tiva.
27		VVarmunſter	8	3
30	DORSETIA.	Shaftsbury	12	2
OCTO. 2		Middleton	15	1
3		Dorceſter	8	1
4		Beauminſter	12	2
6	SOMERSET.	Chard	8	8
14	DEVONIA.	Hunnington	12	1
15		Collumpton	7	2
17		*Tiverton capta.*	$4\frac{1}{2}$	3
19				
20		Silverton	5	2
22		Nevvtonſyer	5	1
23		Crediton	3	3
26		Silverton	8	1
27		Topſham	8	5
NOV.		Pultimor & Broad	5	1
1		Cliffe		
2		VVimple	3	2
4		Mary Antre	3	32
DEC. 6		Tiverton	12	33
IAN. 8		Morton	20	1
9		Bovy Tracy	6	1

COR-

Dies.	*Provincia.*	*Loca.*	*Miliar.*	*Stativa.*
10		Aſhburton	6	1
11		Totnes	5	8
19		*Dartmouth capta.*	7	2
21		Totnes	7	3
24		Nevvtonbuſhell	7	1
25		Chudlay	5	16
Febr.		*Fuldram captum.*		
10		Crediton	12	4
14		Chimleigh	9	2
16		Stephenſton & Torrington.	8	8
24	Cornvbia.	Houlſvvorthy	10	1
25		Launceſton	10	4
Mart. 1		Bliſland	16	1
2		Bodman	4	5
7		Lanvvet & Bodman	6	2
9		Tregny	16	1
10		Truro	16	11
		Goringii exercitus diſſolutus.		
21		Bodman	20	5
26		Launceſton	20	2
28	Devonia.	Okehampton	15	1
29		Crediton	14	2
31		Exonium	13	13
Apr. 13		*Exon dedit.*	4	5
18	Somerset.	Chard	24	1
19	Dorsetia.	Dorceſter	22	1
20	VViltonia	Saliſbury	32	4
25		Andover	15	2
27	Berceria.	Nevvbury	13	3
30		Eaſt-Hendred	12	1
Maj. 1	Oxonivm.	Garſington	9	1
2		Heddenton	3	53
Ivn. 24		*Oxon dedit.*	1	0

Sta-

STATVS ANGLIÆ

Anno cIↄ Iↄ c xlv Menſe Majo, cum Fairfaxius Imperium ſuſciperet.

ANGLIA *dividitur in regiones* cis & uls *Trentam, quæ pro Situ, Boreales & Auſtrales ſunt. Auſtrales iterum dividuntur in Occidentales, Medias, & Orientales.*

IN OCCIDENTE.

REGIS.	PARLAMENTI.
CORNVBIA.	
Tota: cum præſidiis, *Monte S. Michaëlis, Pendennis, Dennis, Helfordia, Foya, Saltaſh Edgcomb, Lanceſton, Padſtovia, S. Ives.*	
DEVONIA.	
Tota, præter *Plymmoutham.* Præſidia ibi valida: *Exonium, Barnſtaplia, Dartmoutha: munitiones ad Exmoutham, Pouldramum, Saltcombam, Ilfordcombam; & alibi.*	*Plymmouthum.*
SOMERSETIA.	
Tota, præter *Tauntonam.* Præſidia: *Briſtolia, Bridgevvatera, Bathonia, Langportum, Burroughia, Nunnya, Portſheada, Ilceſtria, Chidiacka, Farleya.*	*Tauntona.* acriter obſeſſa.

DOR-

REGIS.	PARLAMENTI.
DORSETIA.	
Portlandia inſula cum caſtello, *Corfa, Sherbornia.*	Vrbes maritimæ, *Poola, Lyma, VVeymouthum.*
VVILTONIA.	
Devizes, Laicocka, Langfordia, Highvvorthia.	*Malmeſburia.*
HAMPTONIA.	
Baſinga, VVintonia.	*Portſmouthum, Southamptonia, Chriſtchurcha.*
BERCERIA.	
Farringdon, VVallingford, Dennington, Radcot.	*Abbington, Reading, VVindſor.*
OXONIVM.	
Vrbs *Oxonium, Bambury, VVoodſtock, Gaunthouſa, Bletchington, Godſtovia.*	*Henley.*
BVCKINGHAMIA.	
Borſtalia.	*Aliſburia.*

IN MEDITERRANEIS.

REGIS.	PARLAMENTI.
HEREFORDIA.	
Tota, cum præſidiis *Herefordia, Gotheridga, Cannon Froome.*	Nihil.
VIGORNIA.	
Vrbs *Vigornia, Eveſham, Hartlebury,*	*Havvkſvvorthia.*

REGIS.	PARLAMENTI.
SALOPIA.	
Ludlovia, Bridgenorth, Davvly, Shravvarden, Cauſa, Morton-Corbetia, Stockley, Rovvton, Linſella, Apley, Higharchal, Carevia, Embleden.	*Salopia* urbs, *VVem, Oſvveſtria.*
STAFFORDIA.	
Lichfield, Dudley, Burton ad Trentam.	*Staffordia* urbs.
CESTRIA.	
Vrbs *Ceſtria, Beeſton, Havvarden.*	*Namptvvicha.*
LECESTRIA.	
Aſhbydelazouch.	Vrbs *Leceſtria.*
LINCOLNIA.	
Belvoir.	Vrbs *Lincolnia, Crovvland, Hougham, Burleigh.*
NOTTINGHAMIA.	
Nevvarck, Shelford. VViverton.	Vrbs *Nottinghamica.*

NORTHAMPTONIA

Tota.

VVARVICIA

Tota.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

REGIS.	PARLAMENTI.
IN ORIENTE.	
Nihil.	*Norfolcia, Suffolcia. Cantabrigia, Hundingtonia, Eſſexia, Middelſexia, Cantium, Suſſexia, Surria.*
VVALLIA.	
Tota, præter *Pembrockiam & Montgomeryam.* Præſidia, *Ragland, Monmouth, Chepſtovia, Flint, Holtia, Denbigh, Aberiſtvvith, Aberconvvay, Caermarthen, Caernarvan, Harlactia.*	In Auſtrali *Pembrok:* In Boreali *Montgomeria.*
VLS TRENTAM.	
In Eboracenſi agro: *Skipton, Pontefractum, Scarborougha, Sandal, Bolton. In Lancaſtria Latham, Greenhaugh. In* Cumbria *Carleolæ.*	Reliqua omnia.

EXERCITVS & COPIÆ.

REGIS.	PARLAMENTI.
IN OCCIDENTE.	
Quatuordecim millia ſub Principe Cambrorum; & Legatis, Goringio, Hoptono, Grenvilio. Tum validæ copiæ apud Plymmouthum, novi delectus, ac Clavigeri in partes tracti.	Copiæ quædam ſub Maſſeyo, circiter quinque millium.

RE-

REGIS.	PARLAMENTI.
IN MEDITERRANEIS.	
Exercitus Regius millium quatuordecim. In Cambria ſub Gerardo, ut & *Nevvarkæ*, *Ceſtriæ*, ac per alia præſidia, magnæ copiæ.	Exercitus novus ſub Fairfaxio millium quindecim: & copiæ ſub Laughornio & Middletono in *Cambria*: ſub Breretono in *Ceſtria*: ſub Mittono in *Salopia*: ſub Roſſitero in *Lincolnia*: ſub Gellio in *Derbia*: ſub Nortono in *Hamptonia*.
IN SEPTENTRIONE.	
Nihil.	Exercitus Scotorum ſub *Levenio* viginti millium.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible]ed by Google